CONVERSIO PECCATORIS,

SEU

Modus quo Peccator communiter resurgit ad justitiam.

UBI SIMUL


Doctrina Manuductionis ad pœnitentiam nuper Flandricè & post Gallicè impressa, defenditur & ex SS. Patribus solidè confirmatur.

AUCTORE


R. D. ANTONIO LE FELON, Antverpiensi, Presbytero S. T. B. F.

Adeamus ergò cum fiducia ad thronum gratiæ: ut misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Ad Hebr. cap. 4. vers. 16.





BRUXELLIS,
Typis LAMBERTI MARCHANT, sub signo boni Pastoris. 1675.



FRANCISCO CAROLO REYMAKERS THEOLOGO S.P.

Venerande in CHRISTO *Vir.*

PErlectâ Appendice, quam meæ ad pœnitentiam Manuductioni tibi placuit opponere, verum reperi, quod in ejus mones principio, voluisse te aliqua dumtaxat assertæ à me doctrinæ puncta succinctè annotare, & breviter retundere. Non solùm breviter, sed & leviter id attentasti. Fervido enim te video in illam zelo exarsisse, quo ad ei contradicendum sic es commotus, ut quæ dixeram, & cujusmodi ea forent, non debitè attenderes, sed satis fuerit, si illi quod dictum erat, ut occurrebat, contraires. Hinc quippè factum est, quòd nunc quædam mihi falsò imponas; nunc alia quæ non dixi, ut à me afferta impugnes; sæpiùs contradictionis me arguas, in quibus nulla est vel apparens repugnantia; denique

nonnullis quæ indubitatò vera sunt, nec tibi in assertis à me terminis possunt esse vel ambigua, videri velis repugnare. En singulorum specimen.

Manud. cap. 4. Ipso statim in limine *num.* 236. & 237. dicis me Apostoli, Augustini, & Thomæ auctoritatibus, annisum, pænitentiæ difficultatem in consuetudinariis probare. Sic istud à veri etiam similitudine abest, ut non alium quàm te, dum ea quæ dixi, relegeris, ejus velim habere judicem. Neminem propriis viribus pænitentiam posse vel inchoare, dumtaxat ex Apostolo demonstro; magnum ipsam ac supernaturale esse opus, ex Augustino & Thoma.

Ibidem. Pænitentiæ donum peccatorum plurimis justo Dei judicio non dari, dico inferiùs; quod ex duobus confirmo, partim quòd hinc multi impænitentes discedant, partim quòd sint, quos hîc ob præcedentium peccatorum demeritum contingit excæcari & obdurari. Pluribus qui ex hac vita impænitentes migrant, pænitentiæ gratiam non concedi, ipse confiteris; quosdam etiam, qui id, ut notat S. Prosper, magnis suis peccatis meruerunt, excæcari & obdurari, si Scripturæ credis, non potes abnuere:

inaniter proindè *num.* 241. insurgis, & quædam alia, de quibus hîc nulla mentio, quâ fronte à me dicta sint, petis & interrogas.

Dixi c.6. Manuductionis,& procul dubio verum est,contritionem non sic in potestate esse peccatoris, quin ad eam specialis Dei necessaria sit misericordia, qui cui vult veram dat pœnitentiam (nam teste Apostolo, *cujus vult miseretur, & quem vult indurat*) ita ut ejus gratia brevi oratiunculæ,quæ actum contritionis continet, non sit alligata, quasi nempè cuilibet peccatori satis sit, eam semel proferre. Hîc exclâmas *num.* 254. quasi doctrinæ monstrum à me foret prolatum; atque omnis ejus monstrositas hæc est, quòd generaliter sufficere nolim, si semel peccator ut pœnitentiæ gratiam impetret, hujusmodi oratiunculam protulerit; cum tamen in Scripturis & à Salvatore nostro præcipuè commendata sit & indicta nobis orationis instantia & perseverantia; atque hæc juxta omnes Catholicos Scriptores, una sit ex conditionibus ut oratio infallibiliter sit efficax.

Epist. ad Rom. c. 9. vers. 18.

Tædiosum nunc foret, omnes, quas in dictis meis vides, contradictiones referre. Omitto illam *num.* 248. nam qui-

vis facilè perſpicit, ne repugnare quidem, pleroſquè fidelibus juxta Romanum Catechiſmum (neque id hodie, ut oportet, ſublatum multorum docet experientia) nullum intimum animi dolorem atque gemitum cordis, ad peccatorum veniam neceſſarium putare; atque etiam multos, qui interno dolore ſibi opus eſſe non ignorant, cordis ſui pænitudinem, quæ ſufficiens non eſt, ſufficientem opinari. Neque iſtam exponere neceſſe eſt, quam proponis *num.* 252. eò quòd illos quoque qui precatiunculam, quâ contritionis actus deſcribitur, vivaciter legunt, eundem actum dixerim poſſe dumtaxat in intellectu, non etiam in voluntate habere; notum quippe eſt, quod vivax animi motus ſit, iſta intellectûs ad verba eorumque ſignificatum reflexio, quæ tamen & ab iis adhiberi poteſt, qui affectu nondum, ut oportet, ad illud ſunt converſi. Tacitus tamen præterire nolim *num.* 273. & 274. ubi non ſolùm apertè me mihi vis contradicere, ſed & nugari, hanc ſcilicet ob cauſam, quòd, cum uno loco concedam, nunquam ſic aut toties hominem converſum, quin durante mortali hac vitâ iterum labi poſſit; neque ſic aut toties lapſum, quin denuò valeat re-

ſurgere, contendam tamen aſſiduè relabentes frequenter non verè converti, & pœnitentiam eorum, ut ſummum, eſſe ambiguam: ejuſmodi ergo quia juxta S. Caroli praxim, differendam dico abſolutionem, donec veræ converſionis monſtrent indicium, nugari me vis, atque ipſis pœnitentiæ oſtium claudere, quod alibi omnibus dico apertum. Non ipſis, dilecte Vir, pœnitentiæ oſtium clauditur; verùm hoc modo agitur, ut nemo fallatur, ſed qui vel nullo modo, vel non quantum ſatis eſt pœnitent, hinc excitati verè & ut oportet pænitere ſatagant, atque ita per pœnitentiæ oſtium, quod non niſi veræ converſionis clave aperitur, intrent in vitam æternam: qui verò ambiguè pænitent, non ambiguo ſummam ſuæ credant ſalutis, ſed dignis pœnitentiæ fructibus, converſionem ſuam faciant certam. Non hoc nugari eſt, ſed ſicut commiſſa nobis myſteriorum Dei diſpenſatio exigit, proximorum ſaluti conſulere.

Quid jam de iis dicam, quibus te opponere viderivis; nec tamen vel tibi in aſſertis à me terminis poſſunt eſſe vel ambigua? Cap. 14. Manuductionis confeſſarios dixi, quia id dixerat Trident. Concilium,

munere ſuo non ritè fungi, dum læviſſima quædam opera pro graviſſimis delictis injungunt: Tu vero, *contra* ais *num.* 277. ac per hoc & hîc te inſinuas mihi adverſari; tamen cum ſtrictiùs non loquor, quàm Trident. Concilium fuerat locutum, mihi te opponere non potes, niſi & illi velis contradicere. Exciderat cap. 4. ubi nonnulla expono remedia tanquam peccatori, ut à peccati ſtatu reſurgat congrua & ſalubria, quibus perſeveranter inſiſtenti pœnitentiæ donum promitto à Deo concedendum, Scripturæ innixus dicenti: *omnis enim qui petit accipit, & qui quærit invenit, & pulſanti aperietur.* Hæc malè à me dici pronuntias *num.* 244. quid ergò hîc putas non rectè à me aſſertum? V.in' expoſita remedia lapſo peccatori non eſſe ſalubria? Vin' ipſum ad ea ſuſcipienda, hoc eſt, pietatis & humilitatis opera, non eſſe adhortandum, neque hujuſmodi ei conſilium ſuggeri? Unum ſupereſt, quòd perſeveranter his inſiſtenti promiſerim pœnitentiæ & converſionis donum cælitùs concedendum: ſed de hoc quis dubitet, qui promiſſionibus credit divinis? Hæc ſunt, eo, quem arguis, loco à me dumtaxat aſſerta, in quibus nil vides,

cui non ipse, si sanum sapis, cogeris consentire.

Sufficiunt hæc, ut necesse non sit his minutioribus, quæ allegari plura possunt, amplius immorari: venio nunc ad doctrinam tuam, quam meæ in Manuductione propositæ opposuisti; & principem locum tenet, ac cæterorum ferè est basis, illud fidei dogma quod profers *num.* 243. dum fidei esse dicis, Deum offerre gratiam veræ pænitentiæ omnibus peccatoribus; quo id autem sensu intelligas, manifestas numero anteriori, dum inde concludis, hanc gratiam ultrò oblatam multo tempore vel labore non esse requirendam, *sed illi dumtaxat consentiendum*: & numero subsequenti, hoc est 244. dum per illam me arguis, quòd precibus ac pietatis humilitatisque operibus pænitentiæ gratiam voluerim à peccatoribus requiri.

Igitur te Doctore, secundùm fidem omnibus peccatoribus sic offertur pænitentiæ gratia, hoc est, sic illa ad pænitentiam & debitam conversionem necessaria, ipsis ultrò oblata adest, ut omnibus peccatoribus, ad agendam pænitentiam, seseque convertendum, aliud necessarium non sit, quàm eam acceptare,

seu,

ſeu, ut verbis tuis inſiſtam, *illi dumtaxat conſentire*. Hinc *num.* 241. Scripturam docere dicis: *Deum ſuam gratiam ſemper offerre peccatoribus, & quòd ipſos continuò vocet & invitet ad pænitentiam, imò ſtet ſine ceſſatione ad oſtium cordis ipſorum, & pulſans: Ego ſto ad oſtium, & pulſo:* TANTÙM DEBENT APERIRE PER CONSENSUM LIBERI ARBITRII, UT GRATIAM CONVERSIONIS ACCIPIANT.

Huic tuæ fidei innixus negas *num.* 255. converſionis gratiam inſtanter petendam. Et numero anteriori, ad eam conſequendam ſufficere putas paucarum linearum oratiunculam, quæ contritionis deſcriptionem continet, vel ſemel devotè legere. Imò ſi tibi aſſentiendum ſit, nec hoc neceſſarium eſt; illa enim pænitentiæ gratia, etiam non petita nec quæſita ſic ultrò oblata omnibus adeſt, ut *illi dumtaxat* ſit *conſentiendum*. Deinde devota hujus oratiunculæ etiam ſemel facta recitatio fieri nequit ſine gratia ſaltem inchoatæ converſionis, ac per hoc jam contradicis tibi, ſi per illam putes converſionis gratiam impetrari. Ex ſenſu tuo loquor: cum enim peccatori piis laboribus & orationibus perſeveranter inſiſtenti, pænitentiæ & converſionis donum

dixiſſem

dixiſſem concedendum, tu contra aîs *num.* 244. *Contradicit ſibi: nam hæc omnia quæ prærequirit ante converſionem, ſunt ipſamet converſio ſaltem inchoata; & fieri non poſſunt abſque gratia veræ converſionis: & ſic vult ut peccatores quærant, quod jam habent; præcipitatquè ipſos in labyrinthum perpetuæ incertitudinis & diffidentiæ.* Hæc omnia tibi dic, ſi vel unam ejuſmodi brevis oratiunculæ precationem ad conſequendum pænitentiæ donum putas neceſſariam. Cave quoque ne in infinitum procedas. Iſta enim precatiuncula quâ pænitentiæ gratia petitur, ne ſemel ſine Dei gratia, ſicut oportet, dici poteſt: ergò (iterùm modo tuo argumentor, quo te putas adverſum me *num.* 246. invictè concludere) pro hac gratia à Deo obtinenda, alia precatiuncula erit adhibenda, & ſic fiet proceſſus in infinitum. Hæc cum tibi ſolveris, quàm vanè ea mihi objecta ſint, ipſe confiteberis.

Vides nunc FRANCISCE CAROLE, quò tua te ducat ratiocinatio, & dum huic fidei inniteris, quò progrediaris. Si enim vera ſunt, quæ aſſeris, nemo quantumcumque peccatis immerſus, uſurpare debet Propheticam illam vocem: *Converte me.* Pro nullo orandus eſt Deus, ut

ſpi-

spiritûs sui inspiratione præveniat, moveat,& molliat cor ejus, sed tantùm quisque erit monendus, ut divinæ gratiæ consentiendo, ad Deum sese convertat, debitèque pæniteat; quandoquidem jam omnibus ultrò oblata sic adest pænitentiæ gratia, ut *illi dumtaxat* sit *consentiendum*, & *sine cessatione* ad omnium corda sic pulsat Deus, ut *tantùm debeant aperire per consensum liberi arbitrii, ut gratiam conversionis accipiant*,

Vel hinc suspicari incipe, nè fortè hæc tua non fides sit, sed falsa persuasio: imò ut istud sine dubitatione recipias, converte te ad illos de quibus dicit Evangelium:

Ioan. c. 12. v. 39. 40. *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias: Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum, ut non videant oculis, & non intelligant corde, & convertantur, & sanem eos.* An his fortè, quos sic audis excæcatos & obduratos, ut non potuisse credere dicantur, necessariam ad conversionem gratiam, etiam tum dicturus es ultrò adfuisse oblatam, ut *multo tempore vel labore requirenda* non fuerit, *sed illi dumtaxat consentiendum*? An omni divinæ gratiæ auxilio destituti fuerint, nunc non quæro; neque huc spectat scopus mihi in Manuductione propositus: de gratia ago quæ peccatori

Bellarminus tom. 4. controv gen. 3. l. 2. cap. 6.

ad

ad debitam conversionem necessaria est, ac per hoc quæ ad illam plenè & complete sufficiat; hanc dico his ita excœcatis & obduratis, ut veracissimo Scripturæ testimonio non potuisse credere dicti sint, non sic adfuisse ut *illi dumtaxat* esset *consentiendum*: Hanc dicit Manuductio non omnibus peccatoribus concedi: hanc vult ab ipsis precibus piisque laboribus requiri: Hæc est doctrina quam arguis, & cui istam fidem opponis.

Sed miror tantâ asseveratione hanc nunc à te fidem proferri, quam hactenus à nullo legitimo Concilio decisam, à nullo Romano Pontifice invenisti determinatam. Cui, si quærere volueras, sanctos Patres, Augustinum, Prosperum, Fulgentium, cum sexaginta & eo ampliùs Episcopis sijnodicè in Sardinia congregatis, Gregorium, Isidorum, Bernardum, Thomam, aliosque reperisses contrarios. Cui è Classicis scholæ Doctoribus, nescio si habeas consentientem. Nam quamvis eorum plurimi sufficientem quandam gratiam cuique pro tempore & loco velint non deesse, non sic tamen communiter ad ea quæ agenda sunt, illam volunt sufficere, ut *illi* sit *dumtaxat consentiendum*, sed quâ petendo fideliterque allaborando

talem,

talem, quæ sibi plenè sufficiat, valeant comparare. Sunt etiam non pauci, quibus placet, quædam ad posse, non ad agere sufficiens; propter quod adhuc aliam, eamque non omnibus communem, ut actio sequatur, volunt necessariam. Horum omnium doctrinæ convenit, quidquid de pænitentiæ gratia in Manuductione disserui: Tu verò ab eis longè discedis, dum pænitentiæ gratiam cuique ut convertatur necessariam, sic omnibus peccatoribus vis ultrò à Deo oblatam adesse, ut precibus piisque laboribus requirenda non sit, sed, quod sæpè dicendum est, *illi dumtaxat consentiendum.* Hoc nescio, si à quopiam vel è Scholasticis Doctoribus hactenus ut fidei dogma sit assertum.

Inniti quidem vis Christi testimonio dicentis: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Item: *Pænitentiam agite. Si Christus*, ais, *hortatur omnes ad agendam pænitentiam, indubiè omnibus gratiam offert: aliàs hortatur ad impossibile.* Sed imbecille hîc conficis argumentum, isti tuæ fidei stabiliendæ omninò insufficiens. Non enim ad hoc pertinet Christi vocatio & ad pænitentiam adhortatio, quasi omnibus ultrò oblata ad ea perficienda

jam adsit necessaria gratia, ut *illi*, sicut prætendis, sit *dumtaxat consentiendum*; hoc enim si verum foret, jam nemini necessarium esset, ut ad Christum veniat debitèque pæniteat, ejus adjutorium implorare. Nec tamen propterea quemquam Christus ad impossibile hortatur: ad ipsum quippe venire, ac ritè pænitere, omnibus per Dei gratiam est possibile; quæ gratia per Christum & in Christo nobis est præparata, ita scilicet ut nemini sicut & quantum oportet petenti denegetur. Ac per hoc merito omnes ut ad ipsum veniant ac pœnitentiam agant Christus hortatur; ut si qui adhuc infirmi sint, neque ad id perficiendum sufficientes habeant vires, precibus piisquè laboribus eas ab ipso consequantur. Propter quod qui dixit: *Venite ad me omnes,* *Matth. c. 7.*
& pænitentiam agite, ipse & dixit: *petite &* *vers. 7.*
dabitur vobis: quærite & invenietis: pulsate & aperietur vobis.

Cernis itaquè quam infirmo telo Manuductionem impetere sis aggressus, dum hac fide instructus doctrinam ejus conaris evertere? cernis cujusmodi, hoc est, ruinoso, nitatur fundamento doctrina quam ei opposuisti? Hæc te fides docuerat ut *num.* 244. reprehenderes me, quod pecca-

peccatores ad preces pioſquè labores, quibus veræ pœnitentiæ gratiam conſequentur, fueram adhortatus: hæc te fides docuerat, ut ex adverſo diceres *num.* 255. pœnitentiæ gratiam non opus eſſe inſtanter petere, ſed (quod habes *num.* 254.) paucarum linearum ſufficere precatiunculam. Ex hac fide aſſueriſti *num.* 280. ad imperfectam contritionem, imò ſæpè ad perfectam, non requiri alium laborem: *Quam ut pœnitens ſe præparans ad confeſſionem, examinatâ conſcientiâ conetur excitare verum dolorem ex conſideratione turpitudinis peccati & bonitatis divinæ offenſæ: tunc facienti quod in ſe eſt, Deus non deeſt.* Hinc *num.* 271. frequenter recidivos & peccandi conſuetudini inveteratos, facilè & citò, hoc eſt, uti inſinuas *num.* 264. momento vis converti: non enim niſi momento opus eſt ad voluntatis conſenſum; ſic autem iſtis quoque inveteratis peccatoribus, uti hæc tua aſſerit fides, ultro oblata adeſt pœnitentiæ gratia, ut *illi dumtaxat ſit conſentiendum.*

Hanc fidem dum non recipimus, neque iſtâ, quam improbabiliter aſſeris, facilitate, inveteratos maxime peccatores, regulariter ad pœnitentiam credimus renovari. Tibi ſumus, *num.* 288. *prurientia*

tia ad novitatem ingenia, pacem Ecclesiæ & fidelium unitatem turbantia. Non mihi venerande Vir, ad novitatem pruriit ingenium, neque digitus ad ſcribendum, ut hanc Manuductionem emitterem; ſed quid ad illam me compulerit, quodque in ea mihi fuerit propoſitum, ſic paucis accipe.

Viderat pro ſua Paſtorali ſollicitudine Reverendus admodùm atque Ampliſſimus Dominus Amatus Coriache hujus Mechlinienſis Archiepiſcopatûs, vacante Sede generalis Vicarius, & animabus ac ipſi Sacramento noxium judicabat abuſum, *quo nimirum in gravia peccata recidivi nimis facilè & temerè à quibuſdam Confeſſariis abſolvuntur*: quem emendari ſatagens Anno 1667. publico etiam Decreto monuit omnes hujus Diœceſeos Confeſſarios, ut cum in alios pænitentes ſolvendi, in hos certè ita recidivos ligandi poteſtatem exercerent. Hanc Conſtitutionem denuò renovavit Anno ſequenti, unumquemque Confeſſariorum admonens, ut *quoad hujuſmodi recidivos & incorrectos pænitentes, eâ utantur Eccleſiaſticæ diſciplinæ œconomiâ, quam S. Carolus Borromæus per Diœceſim ſuam cum grandi animarum lucro, per inſtructiones ſuas ſuis Paſtoribus & Confeſſariis obſervandam præſcripſit.*

Has procul dubio saluberrimas Constitutiones, ut rectiùs exequeremur, expedire judicabam, si modum pænitentiæ comparandæ & agendæ populo, cujus instructioni pro commisso mihi munere servire cogor, apertè ejusque captui accommodatè exponerem. Publicis id sæpius concionibus tentavi, verùm ut amplius memoriæ ejus consulerem, dignum duxi, si quæ voce dixeram in brevem hanc Manuductionem contraherem; quod & factum est. Populo itaquè & ob hoc communi, id est, Flandrico nostro idomate illam conscripsi. Omisi autem, sicut oportuit, Scholarum contentiones,& inter dubias Doctorum controversias eam doctrinam amplexus sum, quam & veram judicabam, & omnium consensu sciebam securam. Neminem id suæ & proximi salutis cupidum potest offendere. Tametsi enim circa nonnulla aliud fortassis quis opinetur,eo ipso tamen quo incerta sua illi est opinio,carpere non potest, si illâ relictâ, securior salutis via populo demonstretur; imo ut sibi consulat, id ipsum imitabitur. Etenim *graviter peccaret*, dixit jam olim Augustinus, *in rebus ad salutem animæ pertinentibus vel eo ipso, quod certis incerta præponeret.*

Quo-

Quomodo autem hæc nostra qualiscumque opella excepta fuerit, atque etiam qualiter eruditis probata, non meum est dicere. Ipse typus loquitur brevissimo tempore diversis in urbibus sæpius repetitus. Attamen (sicut non omnibus omnia placent) fuit & cui ipsa displicuit, quique etiam publicè eam cœpit arguere. Is autem cum sæpius Romam, Romam inclamaret, ac si doctrina ejus ab eâ quam Roma probat, discederet; nihil rectius me facturum arbitratus sum, quàm si eandem Romæ examinandam transmitterem. Erat tum ibi Vir eruditissimus, Ordinis sui & Italiæ insigne decus, Card. Joannes Boña, scriptis & famâ etiam huc pernotus. Hunc ergo, tametsi ei hactenùs ignotus, vicariis litteris accessi, ipsique hanc Manuductionem, jam Gallicâ linguâ, quam callebat, interpretatam, destinavi; deprecatus, ut quantum ipsi à majoribus curis licitum erat, eandem inspicere, & si quid ejus sanæ Doctrinæ per Romanam Ecclesiam probatæ non congrueret, aperire non gravaretur. Benignè, ut ejus erat humanitas, hanc nostram postulationem suscepit, atque ejusdem libelli censorem agere non est aspernatus. Quæ

vero ejus fuerit de illo censura, expedire visum est huc apponere, ac tibi innotescere, qui *num.* 289. me annumeras novitatis auctoribus, sic tamen ut non nova afferamus, sed potius antiquatos & dudum refutatos errores restauremus; sed aliter Vir ille. Proferam Epistolam ejus integram, ne quid putes à me subdolè prætermissum. Est ergo ea quæ sequitur.

Adm. Rev. Dne.

Si nomine & facie mihi ignotus fuisti, notissimus deinceps eris meliore tui parte, animo scilicet Christianâ pietate & solidiori doctrinâ imbuto; in libello enim de pœnitentia, quem mihi misisti, loquela tua manifestum te facit. Legi illum summâ aviditate, atque utinam fructu; & zelum tuum pro salute animarum maximopere commendo. Quod verò inter varias dissidentium Theologorum sententias, tutiorem amplexus sis, rem fecisti tuo munere consentaneam; nec poterit hoc nomine tractatus iste displicere, nisi illis qui à pœnitentia maximè alieni, non percipiunt quæ sunt Spiritûs Dei. Sedes Apostolica jam pridem multas laxiores recentiorum opiniones proscripsit, quæ in duobus Decretis Alexandri VII. continentur: & quod attinet ad pœnitentiam

tentiam, illorum dumtaxat nimius rigor damnatur, qui veteris Ecclesiæ erga pœnitentes disciplinam, quæ à multis sæculis in dissuetudinem abiit, nunc in usum revocare conantur, quorum indiscretum zelum tu quoque non probas. Erit etiam aliquis, qui forsitan reprehendet, quæ de differenda sive suspendenda absolutione scribis cap. 12. *verùm doctrina tua sapientissimorum Theologorum est, nec merito argui potest. Optassem tamen, ut quæ dicis* pag. 97. *& duabus sequentibus, omisisses: nam hujusmodi objectiones facilè à populo rudi & simplici intelliguntur, solutiones autem captum eorum excedunt. Cæterùm pro hoc pio & litterario munusculo, gratias tibi uberrimas ago, & si quod aliud simile opusculum aut edidisti, aut imposterum edes, rem gratissimam facies, si ad me pervenire curabis. Hanc mihi fiduciam rogandi te, benignitas tua præbuit, meque tuis precibus enixè commendo. Si quid verò tibi tuisquè studiis prodesse possum, me semper paratum invenies.*

Romæ die ultima Martii
1674.

Tibi addictissimus
J. CARD. BONA.

Objectiones quas optabat omissas, habes eodem cap. 12. quas ideo exposueram quod eas viderem etiam vulgi ore decantari, ac multis magni ponderis apparere; quibus mirum est & nonnullos è doctioribus accedere, cum adversùs illas & alias ejusmodi, satis sit una veteris Ecclesiæ, procul dubio Dei Spiritu directæ auctoritas. Scripsi tamen eidem Eminentiss. Domino, me easdem si id ipsi probaretur, in sequenti editione expuncturum. Ad hoc ille alterâ Epistolâ: *Quod verò attinet*, ajebat, *ad primum libellum de Pœnitentia, objectiones illas expungi, de quibus te monui, si Liber recudatur, forsitan non expediet, cum jam ubique divulgatæ sint: ne quis putet, ideo omissas, quia sanam doctrinam non continerent: sed ita poteris, si tibi videbitur, tam in propositione objectionis, quàm in solutione, eâ moderatione uti, ut quod in illis nunc arguunt adversarii, clariori explicatione, dissolvatur, atque omnis præcidatur occasio, quæ posset doctrinam tuam plebi odiosam reddere.*

Ecce quàm discors à tuo fuerit hujus omnium consensu eruditissimi Viri de hac Manuductione judicium. Tibi singula fermè displicent, eisque vis contradicere; illi sic tota placet, ut quod ejus

vel-

vellet omiſſum, omitti non velit, ne per hoc in illo aliqua non ſana doctrina contineri exiſtimetur: tu te illi præcipuè adverſarium opponis, quòd in ea de differenda abſolutione diſſeritur; ille aſſertam à me doctrinam ſapientiſſimorum dicit Theologorum, nec meritò argui poſſe. Tu deniquè antiquatos & dudum refutatos errores, à me vis renovari; ſed neque tu ullum ejus errorem hactenùs ſufficienter detexiſti, neque illi oculatiſſimo viro aliquis apparuit, quin potius laborari vult ut omnis præcidatur occaſio quæ poſſet doctrinam ejus plebi odioſam reddere.

Satis hæc forent ad ea quæ in Appendice oppoſuiſti, ut aliâ Manuductioni non ſit opus defenſione: verùm multa profers, quæ ob commotam hodie circa converſionem peccatoris, & pœnitentiæ Sacramenti adminiſtrationem controverſiam amplius diſcuti ac plenius accuratiuſquè exponi, plurimorum inſtructioni expedire exiſtimavi. Quapropter amicum hortatus ſum, iſtum laborem ut ſuſciperet; quem & ſuſcepit, non ut tua refelleret, quod dicebat non neceſſarium, cui proindè horas ſuas noluiſſet inſumere; ſed una ipſi cordi fuit veritas eamquè aperire ſtuduit, & quantùm ſa-

tis foret, confirmare: idquè sic effecit, ut omni non nimium præoccupato constare possit, non prurire nobis ad novitates ingenium, sed sicut pro commisso onere necessitas nobis incumbit, veritatem quâ nihil est antiquius, jam olim à SS. Patribus agnitam & assertam, à nobis proponi & defendi. Hunc ergo adi, & quid circa propositam materiam sentire debeas, ex ipso cognosces. Vale.

V. T. H. I. C. F.

J. R. P.



PRÆ-

PRÆFATIO AD LECTOREM.

Brevis nuper populi instructioni, & ob hoc Flandrico idiomate, edita est ad pœnitentiam Manuductio, quâ legitimus ejus modus, quo comparanda est, & agenda concinnè, & communi captui accommodatè exponitur. Perutilis est libellus, & hoc tempore opportunè conscriptus, ut multorum vel ruditas instruatur, vel socors, & perniciosa in peccatis excitetur securitas. Sic autem singula proponit, ut nescias quid amplius mireris, brevem sed claram & exactam doctrinam, an congruam discretionem. Propter quod avidè & magnô etiam eruditorum applausu fuit exceptus, ut pauco tempore diversis in urbibus typum sæpius repeti fuerit necesse. Ejusmodi verò ex nunc fructum fecit, qui solus sufficiat, ut impensi laboris non possit pœnitere Auctorem. Plura de eo dicere supersedeo; non enim nunc per me commendari eget, cujus laudem, non Belgæ modò, sed & exteræ nationes loquuntur.

Quædam tamen prodiit Appendix, Auctore nescio

nescio quo Francisco Carolo Reymakers (*effictum quippe est & mundo ignotum nomen*) *alteri cuidam ejus opusculo conjuncta, quâ Manuductionis hujus doctrina variè impetitur, atque arguitur. Hanc Appendicem accuratè pervolvi, si quid fortè non rectè in Manuductione assertum, quod aliorum non viderat incuriosa benignitas, districtior hujus inspectio denotasset. Hanc enim ob causam amico veritatis prodest etiam apertus contradictor, qui assertionibus ejus ex opposito obluctando, sæpè detegit, quod cæterorum prætererat incautus favor. Verùm nihil hujusmodi reperiri per hanc Appendicem effectum, neque Manuductionis doctrinam in aliquo infirmatam. Propter quod nullâ huic opus est defensione; ipsa sibi sufficit, ut nec verbo ad hanc Appendicem reposito, cujuscumquè æqui & sapientis lectoris judicium non debeat vereri & multum etiam tardis aut ad dijudicandum rudibus sufficere debet superior Apologetica Epistola.*

Verùm in hac Appendice varia prolata sunt, quæ ignaris persuaderi forsan facilè foret, at multum periculosum: deindè pleraquè fere tangit, unde pendet commota hodie circa conversionem peccatoris, & praxim administrandi pœnitentiæ Sacramenti controversia, quæ plenius exponi & congruis fundamentis confirmari, jam dudum fuerat desideratum; oblatâ autem nunc per Appendicem occasione, aptè fieri posse existimabatur. Non vacabat

tabat autem id Manuductionis Auctori multiplicibus commissi sibi muneris curis graviter distento. Propter quod, cum majus mihi otium esset, hunc à me laborem voluit suscipi: terrebar quidem ipsius operis magnitudine, & quod nunc non nisi quod exactum foret & plenè examinatum censerem depromendum, cui me parem nolebam præsumere. Verùm cum nonnulla hac de re jam prius cogitatione tenerem, ac privatim mihi ex SS. PP. annotassem, existimavi esse officii mei, ea quæ jam acceperam & noveram incipere exponere, ut quæ mihi adhuc deerant mererer accipere. Congruum quippe, quin sæpe numero & necessarium istud ad hoc esse medium, jam dudum didiceram ex Augustino; cujus & confirmabar exemplo, auspicantis suos de doctrina Christiana libros: Cum in illo, *inquit*, sit spes peragendi hujus operis, à quo nobis in cogitatione, multa de hac re jam tradita tenemus, non est metuendum ne dare desinat cætera, cum ea quæ data sunt cœperimus expendere.

Comm. in Ps. 38. Epist. 132. Lib. 1. de doct. Christ. cap. 1.

Hac ergo fiduciâ calamum sumpsi, & circa assertam per Appendicem doctrinam, quid verum sit ac tenendum, pro viribus quas Deus dederit, constitui exponere. Nullum autem hujus aut illius partis affectum secutus sum, quem semper percipiendæ veritati multum credidi inimicum. Hanc dilexi & pro mea mediocritate conatus sum assequi.

assequi. Vt autem securè incederem, salubre mihi duxi, si uti olim in exponendis divinis Scripturis S. Hieronimus, ita multò magis nunc ipse in propositarum difficultatum enodatione; non propriis viribus me crederem, nec haberem opinionem meam, sed ea etiam de quibus me scire arbitrabar, quanto magis de iis super quibus anceps eram, interrogarem; interrogarem inquam, illustres Ecclesiæ viros. Sic quippe de se testatur idem magnus & Sanctus Doctor, cum à Paula ad interpretationem Scripturarum compelleretur: Quod propter verecundiam negans, *ait*, propter assiduitatem tamen & crebras postulationes ejus præstiti ut docerem, quod didiceram, non à me ipso, id est, à presumptione & pessimo præceptore, sed ab illustribus Ecclesiæ viris.

Epist. 108. ad Dom. & Rogat.

Epist. 27. cap. 12. ad Eustoch.

Hoc mihi nunc imitandum existimavi, hoc est, ab illustribus Ecclesiæ Patribus, quos post Apostolos ut primos ac optimos suos magistros & ad exponendam Catholicam Doctrinam divinitùs sibi excitatos, ipsa semper est venerata, quæ didici, statui proferre. Hujusmodi autem me ex ipsis testimonia prolaturum, spero, quæ sufficiant, ut omnibus non nimium præoccupatis manifestum sit, non veteres & dudum sepultos errores uti prætendit Appendix, nunc per nos renovari, sed potius antiquam veritatem jam olim per SS. Patres manifestatam, contra novitates defendi.

Memor

Memor tamen conditionis meæ, quæ dicam, abſque præjudicio ſanè dixero ſanius ſapientis, Romanæ præſertim Eccleſiæ auctoritati, atque examini, *ea cuncta*, reſervo, ipſius & ſi quid aliter ſapio, paratus judicio emendare. S. Bernard. Epiſt. 174.



APPROBATIONES.

I.

Admodum R.di ac Ampliss. Domin Vicarii Generalis Illustrissimi ac Reverendissimi Domini *Archiepiscopi Mechliniensis*, &c.

L*ibellus, cui titulus* CONVERSIO PECCATORIS, *&c. quem concinnavit R. D.* ANTONIUS LE FELON *Sacræ Theol. Baccal. Form. æquè utilis erit ad Pænitentiæ Sacramentum accedentibus, quàm illud ministrantibus. Proindè typis evulgari poterit, quo doctrina in eo contenta ad utrosque facilius deveniat. Datum Mechliniæ* 16. *Octob.* 1675.

A. CORIACHE, Vicarius Generalis Ill.mi ac Rev.mi D.ni *Archiepiscopi Mechliniensis.*

Exim.

Exim. D.ni ac M. N. JOANNIS RECHT S. T. Doctoris, ac Professoris Lovaniensis, &c.

QUi solverit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno Cœlorum. *Quid dicendum de eo qui solverit maxima? Inter quæ est mandatum de pœnitentiâ, cui inculcandæ Prophetæ omnes semper operosius insudârunt. Ab eâ* Joannes Baptista *prædicationis*, CHRISTUS *Evangelii sui fecit exordium; Petrus primam suam increpationem Iudæorum conclusit: & Sancti Patres atteste Trid. Sess. 6. & 14. secundam post naufragium deperditæ gratiæ tabulam aptè nuncupârunt. Certum naufragium est si quis cariosæ se aut alios committat. Ei proindè elucidandæ, hoc est ad justitiam erudiendis omnibus, laudatissimam operam hodiè impendunt rectè tractantes verbum Dei. Inter quos* R. D. ANTONIUS LE FELON, *tractatu suo quem inscribit,*

CONVERSIO PECCATORIS, &c. *doctè, solidè ac modestè ex Scripturis & Patribus fundamenta doctrinæ istius eruit ac proponit: dignus qui fulgeat tanquam stella firmamenti in perpetuas æternitates; & qui magnus vocetur in regno cælorum, sive militantis sive triumphantis Ecclesiæ. Dedi Lovanii* 24. *Septembris* 1675.

J. RECHT, S. T. Doctor & Professor.

III.

Exim. P. ac M. N. Fr. CHRISTIANI LUPI, Ord. Erem. S. Augustini S. Th. Doctoris ac Professoris Lovaniensis, &c.

REver. Dom. ANTONIUS LE FELON *per præsentem Libellum lucidè demonstrat veram iniqui cordis conversionem, seu rectum Christianæ Contritionis motum non esse in hominis manu, sed esse singulare Sancti Spiritûs ac victricis gratiæ donum,*

num, ideoquè magnis gemitibus ac laboribus à Divina Clementia postulandum ac impetrandum. Insuper habet & aliam Pœnitentibus utilem doctrinam. Ita censeo Lovanii, die 23. Septemb. 1675.

Fr. CHRISTIANUS LUPUS Sacræ. Theol. Doctor ac Professor.

IV.

Exim. D.[ni] ac M. N. LAMBERTI VINCENT S.Th. Doct. ac Professoris Lovaniensis, &c.

HIc *Libellus* Conversio Peccatoris, seu Modus, quo peccator communiter resurgit, *aptissimâ Sanctorum Patrum doctrinâ fundatus, satis habet per se, ut aliorum testimonia de veritate suâ non requirat. E probatissimis scriptorum monumentis unicum peccatoris refugium ostendit: hoc est, veram pœnitentiam à*

fucata distinguit, & objectiones quorumdam refellit tam dilucidè, ut nescias quid potissimum esse in eo judices: An quod pœnitentes naturæ humanæ fragilitatem, auxiliiquè divini necessitatem doceat, & quantum orationis, quantumquè laboris impendendum sit ei, qui ad justitiam amissam recuperandum, & recuperatam conservandum seriò annititur: An quod Confessarios memores reddat, ut sedulò pro negotii momento dispiciant, num pænitens turrim *volens* ædificare, sederit *ut* computaret *sumptus. Ego quidem utrumque quàm solidissimè præstitum esse, censeo Lovanii hac* 25. *Septembris Anno* 1675.

LAMB. VINCENT, S.Theol. Doct. & Prof.

Erudi-

V.

Eruditissimi ac Consult. D. NICOLAI DU BOIS S. T. ac J. V. L. SS. LL. Professoris Regii, &c.

L*ibellus hic, cui titulus* CONVERSIO PECCATORIS, &c. *Authore* R. D. ANTONIO LE FELON *Antverp. S. T. B. F. poterit imprimi. Datum* 18. *Maii* 1675.

N. DU BOIS, Lib. Censor, &c.

VI.

Reverendi D. PETRI DE ROECK S. T. B. F. &c.

U*T Sacramenti Pœnitentiæ Minister, Animarum Iudex & Medicus triplici hoc Sancto munere prudenter fungatur & fideliter, atque ad Christi institutum vices Christi obeat, tutam nuper semitam discreto cuiquè aperuit Eruditissimus Dom. I. R. P. S. G. doctâ suâ & zelosâ Manuductio-*

ne: Cui quia scrupulos, post injecit quidam Franciscus Carolus, *eandem Author Epistolâ defensivâ planiorem reddidit & munivit. Auxiliarem hac in re operam ei feliciter adhibuit* R. D. ANTONIUS LE FELON *in docta sua, atque ad SS. Patrum mentem exposita Conversionis Peccatorum Methodo. Vtramque exhibet dicti* D. Antonii Libellus, *cui titulus* Conversio Peccatoris: *quem judico, sine offensione fidei & morum, cum fructu posse imprimi & evulgari. Datum Bruxellis* 22 *Maii* 1675.

PETRUS DE ROECK,
S.T.B. Lib. Censor.

SUM-

SUMMA PRIVILEGII REGIS HISPANIARUM.

CAROLUS II. Dei gratiâ Hiſpaniarum & Indiarum Rex Catholicus, &c. Diplomate ſuo ſanxit, ne quis præter LAMBERTI MARCHANT Typographi Bruxellenſis voluntatem, hunc Librum, cui titulus: *Converſio Peccatoris &c. Authore* D. ANTONIO LE FELON S. T. B. F. intrà novennium in Belgio excudat, aut alibi terrarum vel locorum impreſſum in has inferioris Germaniæ ditiones importet, venalemvè exponat. Qui ſecùs faxit, præter exemplarium confiſcationem, triginta florenorum pro unoquoque exemplari perſolvendorum pœnâ mulctabitur, uti latius patet in litteris datis Bruxellis die 31. Maii 1675.

Signat

LOYENS.

Quædam

Quædam, me absente, errata irrepserunt, quæ suo loco ita restituenda, hîc subjungo.

FOl. 6. lin. 10. *rediva* leg. *rediviva*. fol. 11. l. 10 *si* leg. *hi*. fol. 24. l. 1. *reperiunt* leg. *receperunt*. fol. 29. l. 9. *inde* leg. *unde*. ibid. l. 10. *ipsi* leg. *si*. f. 36. l. 5. à fine *fortitudinem* leg. *tortitudinem*. fol. 44. l. 2. à fine. ausit leg. *ausus sit*. fol. 47. l. 8. à fine. *seipsos*. leg. se Deo. fol. 51. l. 6. nunc *leg*. enim. fol. 57. l. 2. à fine. delectati omnibus. *leg*. delectationibus. fol. 72. l. 14. quia *leg*. quin. fol. 75. l. 10. adhuc *leg*. ad hoc. fol. 82. l. 20. adhuc *leg*. ad hoc. fol. 96. l. 5. à fine. & *leg*. sed. ibid. sic *leg*. hîc. fol. 97. §. 4. l. 3. huic *leg*. hujus. fol. 108. l. 3. à fine *privato* leg. *privatos*. fol. 111. §. 6. l. 9. *fugiendum* leg. *fingendum*. ibid. l. 10. *isti* leg. *Istri*. fol. 112. l. 14. *vero* leg. viro. fol. 152. l. 2. flaccenti *leg*. flaccescenti. fol. 161. l. 2. à fine. esse *leg*. est. fol. 173. l. 1. quo u m *leg*. quorum. 183. l. 9. ad *leg*. ob. fol. 191. l. 6 sequi *leg*. sequimur. fol. 196. l. 4. propterea. adde. mandat. fol. 200. l. 5. à fine. tantam esse, &c. *leg*. tantam esse sub hujus geminæ, Dei videlicet & proximi charitatis edicto. f. 203. l. 8. *quia* leg. *qua*. fol. 213. l. 8. dum ab omni, &c. *leg*. plerumque tamen, nempe dum ab omni charitatis affectu sejuncti sunt, naturæ ordinem, &c. fol. 214. l. 18. in. adde. nobis. fol. 218. l. 4. à fine *affectu* leg. *effectu*. fol. 241. l. 3. quia *leg*. qua. fol. 243. l. 20. *ex admota valetudinis* leg. *ex admota tibi medela valetudinis*. fol. 245. l. 14 sufficeret *leg*. satisfieret.

Cætera minora sunt, aut per te facile Lector investigabis.

Ci-


Citationes Marginales apponendæ aut corrigendæ.

Fol 15. ubi citatur S. Thomas *leg.* comm. in c. 7. Job. fol. 42. ad 1. locum Aug. *leg.* l. de grat. & lib. arb. c. 15. fol. 72. *leg.* lib. 2. nota id & pro §. §. seq. fol. 73. Greg. l. 24. moral c. 13. fol. 96. ad 2. locum Bern. *leg.* Ser. 2. in vigil. nativ. c. 9. fol. 130. *leg.* Conc. 1. fol. 141. *leg.* l. 1. de vita contemp. c. 9. fol. 165. *leg.* Past. p. 1. c. 9. fol. 210. §. 5. *leg.* l. 3. fol. 224. leg. Ser. 24. ibid. Chrysost. *leg.* hom. 31. in Joan. fol. 241. Greg. l. 3. c. 5. in lib. 1. reg.



CON-





CONVERSIO PECCATORIS, SEU Quomodo communiter Peccator ad justitiam resurgat.

CAPUT PRIMUM.

Utrum sit de fide omnibus peccatoribus à Deo offerri gratiam veræ pœnitentiæ, ita quidem ut requirenda non sit, sed illi ultro oblatæ dumtaxat consentiendum?

INitium revertendi ad Deum, ait D. Bernardus, *pœnitentia est, quam sine dubio Spiritus operatur, non noster sed Dei.* Ut meritò, quia veraciter, illam dixerit Magnus Gregorius, *unum esse de perfectis donis descendentibus à Patre luminum.* Propter hoc quippe à Deo ipsam dandam expectabat Apostolus cum Discipulum suum moneret, *cum modestia corripere eos qui resistunt veritati: nequando*, inquit, *Deus det illis pœnitentiam ad*

Serm. 1. Pentec.

In Psal. 7. pœnit. in v. non avertas.

2. ad Tim. c. 2. v. 25.

ad cognoſcendam veritatem, & reſipiſcant à Diaboli laqueis.

Iſtud pœnitentiæ donum, peccatorem monet Manuductio precibus ac pietatis humilitatisque operibus à Deo requirere, quibus id docet procul dubio dandum: nam iis qui vel non petunt, vel animi ſocordiâ atque ignaviâ, non ſicut aut quantum oportet, petunt, haud infrequenter aſſerit non concedi. Quæ profectò ſaluberrima eſt ac veriſſima doctrina, ſimul ſpem docens, & excitans timorem, ut nec de divino adjutorio peccator diffidat, quod ſibi recognoſcit petenti & operanti paratum; neque etiam vanè præſumat; ac negligentias ſuas, longamque impœnitentiam inaniter conſoletur, cum iſtam pœnitentiæ gratiam videt non ab omnibus nec ſemper haberi.

Utraque tamen hujus doctrinæ pars diſplicuit Appendicis Auctori, ac dignam æſtimavit, quam redarguendam ſuſciperet. Itaque poſteriori parti *num.* 243. hanc opponit antitheſim: *Deus offert*, inquit, *gratiam veræ pœnitentiæ omnibus peccatoribus, eſt de fide.* Ac deinde hac fide & priorem partem impugnat, quâ pœnitentiæ gratia precibus laboribusque dicitur à Deo requirenda; quia *quod Deus*, ait

num.

num. 242. *ultro offert, non est multo tempore vel labore requirendum, sed illi dumtaxat consentiendum.* Ex quo liquet, quam hic intelligat pænitentiæ gratiam, scilicet ultra quam alia ex parte Dei peccatori ad pænitendum non est necessaria, de hac quippe agit Manuductio, eamque vocat pænitentiæ ac conversionis donum, & à peccatore orando & laborando docet requirendam; quam ea de causa reprehendit Appendix, quod illam pænitentiæ gratiam credat, & ab omnibus fide divinâ credi velit, sic omnibus peccatoribus ultro à Deo offerri, ut *multo tempore vel labore requirenda non sit, sed illi dumtaxat consentiendum.*

Verùm hujusmodi fidem nusquam hactenus Ecclesia proposuit ad credendum. Neque id mirum, sic quippe nec justis generaliter Dei gratiam ipsa credit offerri. Sensum enim suum nobis exposuit, cum per Tridentinos Patres, Dei præcepta homini justificato, dixit non esse ad observandum impossibilia. *Nam Deus*, ait verbis ex Augustino desumptis, *impossibilia non jubet; sed jubendo admonet, & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat ut possis.* Censet proinde & justos quædam subinde non posse, propter quod monen- *Sess. 6. cap. 11.*

tur petere, hoc eſt, Dei gratiam quâ hæc ipſis poſſibilia fiant, & cui conſentiendo ea adimpleant, precibus piiſque conatibus ac laboribus ab ipſo implorare. Ac per hoc iſta Dei gratia juſtis ad quædam Dei præcepta etiam neceſſaria ex Eccleſiæ ſenſu, non ſic ipſis generaliter & ultro offertur, ut ſepoſitis precibus & laboribus, ſit *illi dumtaxat conſentiendum.* Quantò minùs eam credere oportet, ſic omnibus impiis & peccatoribus, Deique contemptoribus offerri?

Hoc cum verum ſit, nihil adferri poteſt, quo vel apparenter tanquam fidei dogma poſſit ſtatui, ſic ſpeciatim his omnibus offerri pœnitentiæ gratiam. Certè hæc fides evertit Eccleſiaſticas preces, ſeu potiùs his ipſa evertitur. Quid enim petimus, dum ex Eccleſiæ præſcripto Deum rogamus, *ut ad veram pœnitentiam nos perducere dignetur*, niſi iſtam pænitentiæ gratiam, ſeu donum converſionis? Hoc ſi, ut vult hic Auctor, ac de fide eſſe prætendit, ultrò Deus omnibus offert, ut ſit *illi dumtaxat conſentiendum*, quid adhuc Deum rogamus ut det, quod jam ultro omnibus credimus eſſe oblatum? Agamus dumtaxat gratias munus ſuum ultro offerenti, & quod ſolùm ſupereſt,

nos

nos ipsi ac mutuo ut illi consentiamus, hortemur. Imo hanc fidem corrigamus, nè dum juxta eam ex parte Dei totum quod necessarium est, unde pæniteamus, jam ultro oblatum credimus, pigri sumus, ac nobis necessum non putemus cum Ecclesia petere, ab ipso *ad veram pænitentiam perduci*. Agnoscamus has Ecclesiæ preces nec frustra, nec superfluè Deo impendi, ac per hoc veræ pænitentiæ ac conversionis donum, non sic omnibus offerri, ut non opus sit nostro labore, nostroque conatu illud à Deo impetrare; & per hoc debiti hujus laboris atque orationis defectu justè posse non dari.

§. I.

Probatur ex precibus Ecclesiæ, pænitentiæ gratiam non sic omnibus adesse.

Hinc illa est piæ Matris Ecclesiæ sollicitudo, quæ sicut omnium salutis cupida est, ita quoque pro omnium conversione apud Deum intercedit. Præcipuè istud in Parasceve exequitur; notæ sunt preces ejus, quas tunc per Sacerdotes & populum illis consentientem, ad Deum emittit: Breviter eas à duodecim sæculis complexus est Romanus Pontifex

Epistola ad Episc. Gall. cap. 11

Cæleſtinus: *Cum enim*, inquit, *ſanctarum plebium Præſules mandata ſibimet legatione funguntur apud divinam Clementiam, humani generis agunt cauſam, & totâ ſecum Eccleſiâ congemiſcente, poſtulant & precantur, ut infidelibus donetur fides; ut Idololatræ ab impietatis ſuæ liberentur erroribus; ut Judæis ablato cordis velamine lux veritatis appareat; ut hæretici Catholicæ fidei perceptione reſipiſcant; ut ſchiſmatici ſpiritum redivæ charitatis accipiant; ut lapſis pænitentiæ remedia conferantur; ut denique catechumenis ad regenerationis Sacramenta perductis cæleſtis miſericordiæ Aula reſeretur. Hæc autem non perſunctoriè neque inaniter peti rerum ipſarum monſtrat effectus, quandoquidem ex omni errorum genere plurimos Deus dignatur attrahere, quos erutos de poteſtate tenebrarum transferat in Regnum Filii charitatis ſuæ, & ex vaſis iræ faciat vaſa miſericordiæ.*

Lib. 1. de voc. Gent. cap. 12.

Hæc erat, uti hodie, ita & illo tempore, uti ejus eſt teſtis S. Proſper, omnium ubique Eccleſiarum, communis ſupplicatio; quam ideò dicit hic Pontifex non inaniter adhiberi, quia ex omni peccatorum genere plurimi convertuntur: ac per hoc non credit iſtam pænitentiæ gratiam jam ante ultro omnibus adfuiſſe oblatam, ut *illi dumtaxat* eſſet *conſentiendum*, ſed potiùs his qui convertuntur

tur

tur & pænitent, istis Ecclesiæ precibus à Deo obtineri. Cœterùm ducentis plus minus annis Cælestinum præcesserat Romanus Clerus, qui simili sollicitudine pænitentiæ ac conversionis donum lapsis peccatoribus judicabat esse petendum. Etenim rescribens S. Cypriano: *Oremus*, ajunt, *pro lapsis ut erigantur; oremus pro stantibus, ut non ad ruinas usque tententur; oremus ut qui cecidisse referuntur, delicti sui magnitudinem agnoscentes, intelligant non momentaneam neque praproperam desiderare medicinam; oremus ut effectus indulgentiæ lapsorum subsequatur & pænitentiam.* Istam pænitentiæ gratiam quam sic sollicitè peccatoribus volebant peti, similiter non credebant illis omnibus ultro offerri ut *illi dumtaxat* esset *consentiendum*: alioquin jam non ut detur adhuc foret orandum, sed illi dumtaxat ut ultro oblatæ consentirent, monendi.

Epist. 31. inter Epist. Cypriani.

§. II.

Dum Pænitentiæ gratia debitè consideratur, satis patet quod non omnibus detur ad sensum Authoris Appendicis.

Denique hæc res difficultatem non patitur, dum pænitentiæ gratiam, sicut intelligenda est, intelligimus. Hæc

enim non ſic dumtaxat peccatoribus offertur, ut illâ pænitentes ſint qui velint, ſed etiam per ipſam fit ut velint. Ipſam enim pænitentiam quæ non eſt pænitendi poteſtas ſed voluntas, nec niſi in illis eſt qui pænitent, à Deo dandam exſpectabat Apoſtolus cum dixit: *Nequando Deus det illis pœnitentiam.* Hanc accepit Petrus cum reſpectus à Domino illicò *egreſſus eſt foras, & flevit amarè*: Illud enim quod ſcriptum eſt: *Reſpexit eum Dominus*: uti notat D. Auguſtinus, *intùs actum eſt, in mente actum eſt; in voluntate actum eſt. Miſericordiâ Dominus latenter ſubvenit, cor tetigit, memoriam revocavit, interiore gratiâ ſuâ viſitavit Petrum, interioris hominis uſque ad exteriores lachrymas movit, & produxit affectum.* Ille eſt miſericordiæ reſpectus, *qua*, uti ait magnus Gregorius, *inſenſibilitatis noſtræ duritiam, cum reſpicit, emollit.* Ac per hoc non fit ad illos qui adhuc duri permanent, hoc eſt, incorrecti. Sic ex Eccleſiæ inſtituto, & nos reſpici petimus, cum dicimus:

Lib. 1. de grat. Chriſt. cap. 45.

Lib. 8. Mor. cap. 13.

Ad Matut. in hym. laud.

JESU *labantes reſpice,*
Et nos videndo corrige;
Si reſpicis labes cadunt,
Fletuque culpa ſolvitur.

Illo enim reſpectu corrigit nos, hoc eſt ineffa-

ineffabili gratiæ suæ operatione mutat cor nostrum ab eo quod priùs pravè diligebat, in id quod diligere debet; quod se facturum promisit cum dixit: *Auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum, & spiritum meum ponam in medio vestri: & faciam ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea custodiatis & operemini.* *Ezech. 36. vers. 26.*

§. III.

Deus iis quibus aufert cor lapideum, & donat carneum, impertit gratiam Contritionis.

A*Vferens* nobis Deus *cor lapideum* & tribuens *cor carneum*, hoc est interprete Augustino, *cor obediens*, divinis jussis cedens & obtemperans, convertit nos; *Lib. de grat. & lib. arb. cap. 16.* impertitque conversionis gratiam, quam dicit Manuductio non omnibus esse communem, ac precibus piisque laboribus à Deo requirendam: non enim eam habent quibus adhuc cor est induratum, imo exigentibus prioribus culpis, Dei judicio induratur. Valdè enim sibi contraria sunt, auferre cuipiam cor lapideum, hoc est, ut idem Augustinus, *cor durum*, & *Ibid.* cor ejus indurare: *Induravit* autem *Dominus* cor Pharaonis; induravit & cor Judæorum, qui Christo non crediderunt. *Exod. 10. v. 20. Ioan. 12. v. 40.*

Et

Et quamvis id non nisi ob præcedens demeritum contingat (propter quod à S. Prospero dictum est : *Cum verò aliquos à Deo aut traditos desideriis suis, aut obduratos legimus, aut relictos magnis peccatis suis, hoc ipsos meruisse profitemur: quia talia eorum crimina præcesserunt, ut sibi ipsi pœnas debuerint, quæ eis etiam supplicium verterent in reatum. Atque ita nec de judicio Dei querimur, quo deserit, meritos deseri; & misericordiæ ejus gratias agimus, quâ liberat non meritos liberari.* Contingit tamen; quibus autem contingit, hoc est, quos Deus indurat, jam non eis tribuit istam conversionis ac pœnitentiæ gratiam, auferentem cor lapideum & dantem cor carneum, ut sit *illi dumtaxat consentiendum.*

Ad object. gall. disp. 11

Hujusmodi ergò dum Dei spiritu compuncti cordis sui duritiem agnoscere atque odisse incipiunt, oportet ad eum quo illa auferenda est, oculos convertere, ejusque opem quâ auferatur implorare. *Si cor obduratum habeas*, ait S. Ephrem, *plora coram Deo, ut cognitionis tibi lumen*; addo conversionis gratiam, cor lapideum auferentem, infundat. Hanc gratiam petimus, cum in longa illa Ambrosii oratione ante Sacrum nobis ad legendum præscriptâ precantes Deo dicimus: *Aufer à nobis*

L. de recta vivendi rat. n. 16.

nobis iniquitates nostras: & ignem sancti Spiritûs in nobis clementer accende. Aufer cor lapideum de carne nostra, & da nobis cor carneum, quod te amet, te diligat, te delectetur, te sequatur, te perfruatur.

Supervacaneum nunc fuerit S. S. Patrum sensum circà prætensam hanc fidem operosiùs indagare. Is tamen vel solus illi evertendæ, ac falsitatis convincendæ sufficeret. *Si enim*, ut testis est sanctus Fulgentius, & ipse inter eos venerandus, *Apostolicæ prædicationis tenentes per omnia veritatem, certissimè cognoverunt, cognoscendumque libris & epistolis reliquerunt, gratiam Dei non omnibus hominibus generaliter dari.* Propter quod idem inferiùs: *Gratia igitur*, inquit, *in utroque operatur: scilicet & in errante ut correctus vivat, & in correcto ne depravatus abscedat. Non omnibus autem istam gratiam dari, & quibus datur non omnibus æqualiter dari, quisquis piè quærit, eloquiorum sanctorum attestatione cognoscit.* Hinc sexaginta & eò ampliùs Episcopi, cum ipso in Sardinia exules in Synodica sua Epistola: *De gratia verò*, aiunt, *non dignè sentit, quisquis eam putat omnibus hominibus dari.* Hoc deinceps posteriores S. S. [a] Gregorius, [b] Isidorus, [c] Anselmus, [d] Bernardus, [e] Thomas, aliique sunt secuti.

L. 1. de ver. prædest. cap. 15.

Ibid. c. 17.

Cap. 9.

a *L. 11. mo. cap. 5.*

b *L. 2. sent. cap. 5.*

c *L. de conc. grat. & lib. arb.*

d *Ser. 73. sup. cant. c. 7.*

e *L. 3. con. gent. c. 161.*

CAPUT II.

Vtrum Scripturæ quas profert Appendix, isti fidei probandæ sufficiant?

DUplex profert Appendix Christi testimonium quo nixus rectè se putat hujusmodi fidem asserere; duplex item ponit *num.* 241. unum è Proverbiis, alterum ex Apocalypsi. Hæc nunc quantum probandæ isti fidei faciant, inquiramus. Itaque à posteriori quod Appendici est primum, exordiamur.

Scriptura, ait, docet *Deum suam gratiam semper offerre peccatoribus, & quod ipsos continuò vocet, & invitet ad pænitentiam, imò stet sine cessatione ad ostium cordis ipsorum, & pulsans: Ego sto ad ostium, & pulso, tantum debent aperire per consensum liberi arbitrii, ut gratiam conversionis accipiant.*

Imprimis has particulas, *semper, continuò*, quibus omnis argumenti ejus vis innititur, nusquam in Scriptura ad præsens propositum, hic Auctor invenit; nusquam dictum est: *Ego sine cessatione sto ad ostium & pulso.*

Deinde qualiter quæ hîc dicit intelligat, ignoro. Erit fortassis qui hæc ita ac-

cipienda judicabit, quòd ad omnium corda Deus cum auxilio gratiæ ſuæ inceſſanter ſtet paratus, quem innatâ arbitrii ſui virtute volendo atque ita cor aperiendo, quis intromittit, ejuſque gratiam conſequitur. Aſt hoc non eſt Catholicum dogma, ſed ut notat Bellarminus, Caſſiani & Fauſti reprobandus error, quem communiter Semipelagianis tribuit ſanctus Proſper, ipſis dicens: *Tom. 4. con trov. 3. lib. 2. cap. 1. & 6.*

Gratia quâ Chriſti populus ſumus, hoc cohibetur
Limite vobiſcum, & formam hanc adſcribitis illi:
Ut cunctos vocet illa quidem, invitetque: nec ullum
Præteriens, ſtudeat communem adferre ſalutem
Omnibus, & totum peccato abſolvere mundum:
Sed proprio quemque arbitrio parere vocanti,
Judicioque ſuo motâ ſe extendere mente
Ad lucem oblatam, quæ ſe non ſubſtrahat ulli,
Sed cupidos recti juvet, illuſtretque volentes.

Carm. de in grat. c. 10.

Ab iſto eorum errore ut liberi ſimus, inconcuſſè tenendum eſt, non ita ad omnium corda Deum ſtare, & pulſare, ut exſpectet, qui aperire ipſumque intromittere velit, cui gratiæ ſuæ auxilium largiatur: ſed ipſe potiùs miſerendo prævenit nos, & ut ei aperire velimus, gratiæ ſuæ dono infundit, qui *aperuit cor Lydiæ intendere his quæ dicebantur à Paulo.* *Act. 16. v. 14.*

§. I.

§. I.

Quo ſenſu Dominus Deus ſtet ad oſtium cordis pulſans?

ITaque alio ſenſu intelligendus eſt Do-
Ioan. 14. minus ſtare ad oſtium cordis, nempè
verſ. 23. quia paratus eſt, ut alibi ait: *Si quis* eum *diligit, ejuſque mandata* cuſtodit, *ad eum venire, & manſionem apud eum facere.* Pulſat autem cum ſive per elementorum contemplationem, ſive per Scripturarum cognitionem, ſive per Miniſtrorum ſuorum cohortationem, aliosve innumeros modos, ad ſui dilectionem mandatorumque obſervantiam nos invitat. Ad hanc pulſationem etiam pertinet illa vocatio, quâ nos Deus, ut ait D. Auguſti-
In Pſ. 102. nus, *vocat undique ad correctionem, vocat undique ad pœnitentiam, vocat beneficiis creaturæ, vocat impertiendo tempus vivendi, vocat per lectorem, vocat per tractatorem, vocat per intimam cogitationem, vocat per flagellum correptionis, vocat per miſericordiam conſolationis:* Verùm incaſſa eſt hæc omnis pulſatio, niſi prævenientis gratiæ auxilio, affectum aperiendi, hoc eſt, diligendi in nobis ipſe generarit.

§. II.

§. II.

Sunt quibus cor pulsatur exteriùs, quibus tamen deest interiùs gratia conversionis ab Auctore Appendicis descripta.

ESse autem quibus hoc modo cordis ostium pulsatur exteriùs, nec tamen Dei gratiâ cui dumtaxat consentiendum est, aperitur interiùs, ex iis maximé discimus quos in Scripturis, ut suprà commemoratum est, ad vocem monentis legimus excœcari, & obdurari. *In sacra Scriptura*, ait S. Thomas, *consuetum est dici, quod Deus aliquando indurat vel excœcat, ex hoc quod gratiam non largitur per quam emolliatur & videat.* Sæpius id accidere agnovit atque asseruit Romanus Pontifex, atque egregius Ecclesiæ Doctor S. Gregorius: *Plerumque fit*, inquit, *ut cùm audientis cor, exigentibus culpis, omnipotentis Dei gratiâ non repletur, incassum exteriùs à Prædicatore moneatur: quia mutum est os omne quod loquitur, si ille interiùs in corde non clamet, qui aspirat verba quæ audiuntur.* Hinc Propheta ait: *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laborant qui ædificant eam.* Hinc Salomon dicit: *Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere quem ille despexerit.* Nec mirum si à corde reprobo

Comment. in cap. 7. &c. 6. lect. 4. num. 6.

Lib. 11. moral. c. 5.

Præ-

Prædicator minimè audiatur, dum nonnunquam & ipse quoque Dominus in his quæ loquitur resistentium moribus impugnatur. Hinc est quod Cain divinâ voce admoneri potuit, & mutari non potuit: quia exigente culpâ malitiæ, jam intùs Deus cor reliquerat, cui foris ad testimonium verba faciebat. Nihil itaque hic textus probat prætensam ab Appendice fidem.

§. III.

Aliis Scripturæ locis abutitur ad stabiliendam dictam Gratiam.

SEd pergit: *Hoc confirmatur ex* cap. 1. Proverb. *ubi Deus dicit peccatoribus: Convertimini ad correptionem meam, & proferam vobis spiritum meum, seu gratiam veræ pænitentiæ.* Confirmari hîc vult, quod superiùs dixerat: tantùm debent (*peccatores*) aperire *per consensum liberi arbitrii, ut gratiam conversionis accipiant*, ut proinde *convertere se ad correptionem* Dei sit huic Auctori, aperire per consensum liberi arbitrii; Atque hac conversione, sive apertione per consensum liberi arbitrii pænitentiæ gratiam omnibus ultrò oblatam qui volunt accipiant; ac per hoc, illa conversio sive apertio per consensum liberi arbitrii prior est gratiæ acceptione, &

non est ex gratia, cum ejus accipiendæ sit causa vel meritum.

Hoc si hic auctor non sentit, viderit quomodo sua hîc & alibi dicta defendat, ego nolim contendere: dum indubitatò constat, isto modo propositum Scripturæ testimonium intelligi non posse. Sic quippe ipsius justificationis exordium in adultis non, sicut declarat Tridentina *Sess. 6. c. 5.* Synodus, à Dei per Jesum Christum præveniente gratia, sed, uti dogmatizat Semipelagianus, à libero arbitrio cor Deo, ut ejus gratiam recipiat, aperiente sumeretur. Ut jam *voluntas hominis divina gratiæ sibi pariat opem, non gratia sibi humanam subjiciat voluntatem:* *Epist. ad August.* Quod Semipelagianorum dogma, jam olim ut *perversissimum* reprobavit S. Prosper. Hoc enim modo, gratia jam non est gratia, quia non gratis data, sed operibus, hoc est, isti cordis apertioni reddita; uti enim argumentatur Apostolus: *Reliquiæ secundum electionem gratiæ salvæ factæ sunt;* *Epist. ad Rom. c. 11. vers. 5. 6.* *si autem gratia, jam non ex operibus; alioquin gratia jam non est gratia.* Hinc merito adversus eosdem Semipelagianos S. Fulgentius: *L. de incar. & grat. D. N. I. C. c. 18.* *Si vero*, ait, *secundum opinionem illorum, nostrum est velle credere*, (aut pulsanti Deo cordis ostium aperire) *priusquam*

quàm nos Dei gratia incipiat adjuvare; injustè gratia dicitur, quia non gratis datur homini, sed bonæ retribuitur voluntati. Hanc enim (sicut illi volunt) gratia in nobis invenit, quam ipsa non dedit, imo si sic est, nos priores Deo voluntatem damus, atque ita gratiam non miseratione tribuentis, sed æquitate Dei retribuentis accipimus. Verumtamen quis prior dedit illi, & retribuetur ei? nemo utique.

Itaque procul dubio *convertentibus* se *ad correptionem* suam, *profert* Deus, sicut promisit *Spiritum suum*, sed ut sese convertant ille tribuit, cui per Prophetam dicitur: *converte me, & convertar: quia tu Dominus Deus meus. Postquam enim convertisti me, egi pœnitentiam: & postquam ostendisti mihi, percussi femur meum.* Item per alium: *Deus tu conversus*, sive ut in Ecclesiastico legitur officio, *Deus tu convertens vivificabis nos.* Ac per hoc Dei *misericordia* non solùm necesse est nos *subsequatur* dum benè volentes adjuvat, sed etiam *præveniat* ut non benè volentibus atque ita nihil benè merentibus, gratis gratiam donet, & bonæ voluntatis exordium in ipsis operetur. PRÆVENIT MISERICORDIA, ait idem præclarus Antistes, *liberum hominis arbitrium, dum in nondum benè volente, sola operatur exordium bonæ voluntatis,* SUBSEQUITUR *dum*

Ierem. 31. v. 18. 19.

Ad offertorium Missæ Dom. 2. Advent.

L. 2. de ver. præd. c. 13.

dum benè volenti subministrat auxilium, ut benè operando perveniat ad bonæ voluntatis effectum. Misericordia igitur præveniens, cooperaturam sibi hominis voluntatem sola præparat, subsequens autem cooperantem sibi voluntatem juvat. Itaque præveniens in tenebris hominem constitutum, gratis educit ad lucem, non solùm admonendo extrinsecùs, sed & intrinsecùs illuminationis gratiam largiendo. DOMINUS ENIM ILLUMINAT CÆCOS.

§. IV.

Perperam allegatur locus Scripturæ ut dicta gratia probetur omnibus adesse in vita & aliquibus deesse in extremis.

PRosequitur deindè Appendix: *Quod autem hanc gratiam semper afferat in vita, & sæpè neget in extremis, probant verba sequentia: quia vocavi & renuistis: extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret: despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis: ego quoque in interitu vestro ridebo, &c.*

Peccatores hoc loco arguit Deus, aut arguendos prædicit, quod sibi vocanti non fuerint obsecuti, id enim voluntatis eorum vitium est, ipsisque adscribendum. Neminem tamen usquam peccatorum in

vita vel aliquando ob præcedentia pecca-
Ad Capit. Gall. sent. 11. ta, ut loquitur S. Prosper, *Relinqui à Deo ac sibi ac deceptoribus tradi*, neque hîc dicitur, neque ex dictis vel apparenter licet concludi; minus verò hinc conficitur, omnibus peccatoribus pænitentiæ gratiam sic semper in vita offerri, ut precibus piisque laboribus requirenda non sit, sed ut vult Appendix, *illi dumtaxat consentiendum.* Ac per hoc nullo modo, hoc testimonio prætensum fidei dogma stabilitur.

§. V.

Frustra huc allegantur loca quædam ex Evangelio.

VEnio nunc ad testimonia quæ de Evangelio sumpsit, & quibus præcipuè vult inniti: primum est ubi Christus omnes ad se vocat; *venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Alterum ubi hortatur ad pœnitentiam. Verum nec his aliquid efficitur. Nam Judaicum populum immediatè his verbis Christus fuerat allocutus, & tamen etiam post hanc vocationem & adhortationem plurimis eorum non datum
Ad Rom. c. 11. v. 7. 8. pœnitentiæ donum, cui *dumtaxat* esset *consentiendum*, ex Apostolo discimus, qui paucas

paucas hujus populi reliquias electione gratiæ dicit salvatas: *cæteri*, ait, *excæcati sunt, sicut scriptum est: dedit illis Deus spiritum compunctionis, oculos ut non videant, & aures ut non audiant usque in hodiernum diem.* Quam cordis cœcitatem & duritiam nostro etiam tempore in hoc populo permanere videmus & dolemus. His autem quos Deus indurat & excœcat non tribui gratiam, per quam emolliantur & videant, jam suprà ex S. Thoma audivimus, Similiter jam omnes Christus adhortatus fuerat, cum tamen quibusdam peccatoribus idem Apostolus, nondum à Deo datam indicat pænitentiam, cum eam adhuc exspectet dandam; quin etiam an eis danda sit, sibi indicat esse ambiguum. *2. ad Tim. c. 2. v. 25. 26.*

Non debuit itaque Appendicis Auctor sine ulla Ecclesiæ definitione contra sensum S.S. Doctorum nullo (aut si sit rarus est, & ignotus) classico Theologo sibi consentiente, ex his Scripturis nihil propositum probantibus, novum fidei dogma producere. Intelligat Catholicam fidem non minus additione, quàm diminutione corrumpi. *Una est*, ait S. Pontifex Leo, *vera, singularis, perfecta, inviolabilis, catholica fides, cui nihil addi, nec minui potest.* *Epist. 83.*

§. VI.

Cæteris paribus, Deus gratias suas liberaliùs distribuit peccatoribus Ecclesiæ compagi adhærentibus, quàm indè abscedentibus. Sed nihil hinc sequitur pro ante dicta Gratia, ab hoc Auctore asserta.

COeterùm non negavero, peccatores adhuc Ecclesiæ compagi cohærentes, præ iis qui foris sunt, ampliùs & frequentiùs cœlestis gratiæ rore aspergi: cum enim Ecclesia corpus sit Christi, *in aspersionem sanguinis* ejus convocata, atque illi vitalis & irradiantis gratiæ influxus à capite suo Christo, cui unita est subministretur; hujus influxûs & ipsi dum membra ejus permanent, præ aliis fiunt participes. Hinc fides, hinc fraternitatis amor, quo reliquis cohærent Ecclesiæ membris, in eis perdurant: hinc piè interdum compuncti, quamvis cupiditates suas omninò deserere nondum statuant, ac per hoc dorsum quodammodo Deo habeant obversum, subinde tamen ut appositè Augustinus, vel retorto collo ad illum conantur respicere; sibique in peccatis displicent, ac bonos diligentes, iis se dolent dissimiles: hæc & ejusmodi

1. Petr. c. 1. v. 2.

Quæst. 11. in Matth.

alia

alia, gratiæ in ipsis effectus sunt. Verùm alia gratia est, eaque potentior, quâ Deus *aufert cor lapideum de carne nostra, & dat cor carneum: id est*, ait Bernardus; *non durum, non obstinatum, non Judaicum, sed pium, sed mansuetum, sed tractabile, sed devotum.* Hac carent, quamdiu cupiditatibus suis obsequentes, imperanti Deo nolunt se subdere.

Ser. 1. in dedicat. Ecc.

In quantùm tamen divinæ gratiæ participes effecti sunt, habent quo proficere possunt, & illam potentiorem, quæ cor ipsorum molliat atque immutet, petendo, quærendo, atque pulsando, pièque laborando impetrare. Et quia hinc summa rei pendet ipsorum, nihil eis pro hac consequenda, uti à Manuductione rectè assertum est, sed ab hoc Auctore non rectè improbatum, arduum nimis debet aut difficile videri. Non hîc sese malâ securitate in iniquitatibus suis lactent nec putent, tametsi eis, quousque libuerit fuerint obsecuti, non tamen hac ope gratiæ destituendos. *Terra enim*, ut ad eorum terrorem dicit Apostolus; *sæpe venientem super se bibens imbrem proferens autem spinas & tribulos reproba est & maledicto proxima: cujus consummatio in combustionem.* Quod illis accidit de quibus alibi ait: *Eo quod charitatem*

Epist. ad Hebr. c. 6. v. 7. 8.

2. ad Thess. c. 2. v. 10. *tatem veritatis non reperiunt, ut salvi fierent, ideo mittet illis Deus operationem erroris ut credant mendacio & judicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati.*

CAPUT III.

An Deus gratiam veræ pœnitentiæ cuilibet peccatori semper offerat in vita, & sæpè neget in extremis?

Item an cum hoc benè consistat, quod si eam aliquando negaret in vita, hortaretur ad impossibile?

QUamvis Appendicis author, ut vidimus, fidei esse velit, omnibus peccatoribus gratiam veræ pœnitentiæ offerri à Deo: Unam tamen num. 241. profert exceptionem, dum eam maximo peccatorum numero usque ad vitæ terminum in peccatis suis perdurantium, in extremis confitetur denegari. Hanc exceptionem non abnuo: *Nam revera, si benè memini*, ait D. Bernardus, *in toto canone Scripturarum, unum latronem invenies sic salvatum.* Non tamen cuiquam salutis spes adimenda est, nam uti ibidem subjungit: *Spiritus non modo, ubi vult, sed quando vult, spirat, nec ei difficile est de subito perfectam dare contritionem cordis, quam vix multo*

Ser. 38. ex parvis sive Ser. 75. de diversis.

multo tempore alii consequuntur. Ne tamen hinc quidam malè præsumant, salubriter addit: *Sed unde scis quod tibi ita tunc subvenire velit, quem tu interim sic repellis? Benignus quidem est spiritus sapientiæ, sed non liberabit maledicum à labiis suis.*

§. I.

Non solis iis qui ad vitæ terminum appropinquant, denegatur gratia ab Authore Appendicis asserta.

VErùm non hæc sola facienda est exceptio, quasi cæteris omnibus ita adsit, ut *dumtaxat* sit *illi consentiendum*: nam adhuc sospites erant plerique eorum, de quibus superius est actum, sic etiam nondum animam agebant, quos *dimisit* Deus *Ps. 80. v.*
secundum desideria cordis eorum *ituros in adin- 12. 13.*
ventionibus suis. Hujusmodi plures produci possent qui relinquentes Deum ab ipso quoque relicti sunt. Pro his quidem sicut & pro reliquis omnibus, apud Deum intercedit Ecclesia, neque id inaniter fieri ipse rerum monstrat eventus; quandoquidem ex omni errorum genere plurimos Deus dignatur attrahere, quos erutos de potestate tenebrarum transferat in regnum Filii charitatis suæ. Tamen

men priusquam pro eis Ecclesiæ oratio fuerat exaudita, antequam eos Deus ad se attrahere & convertere dignabatur, nondum eis aderat ista pœnitentiæ & conversionis gratia, ut *dumtaxat illi* esset *consentiendum.* Istud adversus Appendicem satis est ac fidem ejus evertit. Deinde, ut notat S. Prosper, non pro omnibus Ecclesiæ oratio exauditur. *Quod si aliquos,* ait, (*sicut videmus accidere*) *salvantis gratia præterierit & pro eis oratio Ecclesiæ recepta non fuerit, ad occulta divinæ justitiæ judicia referendum & agnoscendum est secreti hujus profunditatem nobis in hac vita patere non posse.*

L. 1. de vocat. gent. c. 13.

§. II.

Hic gratiæ defectus non Deo; sed homini est imputandus.

HOc tamen omnino affirmavero istiusmodi divinæ gratiæ defectum non Deo sed homini esse imputandum. Ut enim Dei adjutorio homines *non adjuventur*, ait D. Augustinus, *in ipsis itidem causa est, non in Deo.* Quæ Augustini verba ad Monimum refert & approbat S. Fulgentius, qui & alibi ait: *Hæc Dei gratia quâ salvamur, non alicui præcedenti bono merito datur: nec tamen nisi præcedenti malo merito*

Lib. 2. de pecc. mer. & remiss. cap. 17.

L. 1 c. 28.

L. 1. de ver. prædest. c. 3.

merito denegatur. Quibus conformiter S. Gregorius, ut vidimus, docet, plerumque audientis cor exigentibus culpis omnipotentis gratiâ non repleri. Hinc exponens illud Job cap. 17. cor eorum longe fecisti à disciplina: *Neque ita,* inquit, *hoc dicitur ac si omnipotens & misericors Deus longè cor hominis à disciplina faciat, sed quod sponte delapsum, ibi remanere, ubi cecidit, judicando permittat:* Et post hos Bernardus: *Sponsus quidem æqualiter atque indifferenter,* inquit, *præsto ubique est, divinæ utique præsentiâ majestatis & magnitudine virtutis suæ. Gratiæ tamen exhibitione seu inhibitione quibusdam longè, quibusdam propè esse dicitur. Cæterùm à sanctis pia dispensatione ad tempus & non ex toto, sed juxta aliquid aliquando longè se facit, peccatoribus autem de quibus dicitur* SUPERBIA EORUM ASCENDIT SEMPER: *& item* INQUINATÆ SUNT VIÆ EORUM IN OMNI TEMPORE, *semper valdèque longè est, atque in ira hoc & non misericordia.* Hos denique omnes secutus Angelicus Doctor: *defectus gratiæ,* inquit, *prima causa est ex nobis, sed collationis gratiæ prima causa est à Deo.*

L. 11. mor. cap. 5.

L. 13. mor. cap. 16.

Serm. 56. in cant. c. 4.

1. 2. q. 112 a. 3. ad 2.

§. III.

§. III.

Quo sensu dici possit, Deus gratiam suam omnibus offerre?

EX quibus ulteriùs patet, posse quodam non improbando sensu dici, Deum gratiam suam omnibus offerre: *Deus enim*, ait idem S. Thomas, *quantùm in se est paratus est omnibus gratiam dare, vult enim omnes homines salvos fieri, & ad cognitionem veritatis venire, ut dicitur* 1. ad Timoth. cap. 2. *sed illi soli gratiâ privantur, qui in se ipsis gratiæ impedimentum præstant.* Verùm homo à justitia in peccatum libero prolapsus arbitrio, *Spiritus est vadens & non rediens*, ita scilicet, ut cum unanimi [a] Augustini, [b] Prosperi, [c] Fulgentii, [d] Bernardi, [e] Richardi à S. Victore, [f] Bonaventuræ consensu exponit [g] S. Anselmus, *ut merito suo de peccato in peccatum usque in abyssum peccatorum sine fundo, hoc est, profundo sine æstimatione demergatur, nisi misericordiâ retineatur.* Atque ita ut ibi quoque subjungit S. Thomas, *non est omnino in potestate ejus nullum impedimentum gratiæ præstare.*

Quamvis autem illi qui in peccato sunt, vitare non possint per propriam potestatem, quin impedimentum gratiæ præstent vel ponant, nisi auxilio

L. 3. con. gent. c. 159.
Ps. 77. v. 39.
a in Ps. 77.
b 1. de voc. gent. c. 7.
c L. de incar. & grat. c. 22.
d Ser. de cant. Ezech. c. 2. serm. 84. supra cant. cap. 3.
e L. de potest. lig. & sol. cap. 2.
f De Trib. tern. pecc. cap. 4.
g L. de conc. grat. & lib. arb.
L. 3. cont. gent. c. 160

auxilio gratiæ præveniantur: nihilhominus tamen hoc eis imputatur ad culpam, quia hic defectus ex culpa præcedente in eis relinquitur. Sicut ebrius ab homicidio non excusatur, quod per ebrietatem committit, quam suâ culpâ incurrit. Præterea licet ille, qui est in peccato non habeat hoc in propria potestate quod omninò vitet peccatum, habet tamen potestatem nunc vitare hoc vel illud peccatum. Inde quodcumque committit voluntariè committit, & ita non immeritò, ipsi imputatur ad culpam.

§. IV.

Generalis ista gratiæ oblatio quæ juxta hunc sensum admitti potest, peccatoribus nil prodest nisi Deus speciali beneficio ea auferat quibus ipsi ex se semper sunt gratiâ indigni & impedimento.

TAmetsi ergo omnibus hoc sensu Dei gratia sit parata, id tamen peccatori parum est ut ejus particeps fiat: sponte enim peccati servus effectus, ei in se ipso impedimentum præstat, & ut prosequitur idem S. Doctor, *in quantum ordo rerum exigit, gratiam non deberet recipere. Tamen quia Deus præter ordinem rebus inditum operari potest, sicuti cum cæcum illuminat vel mortuum resuscitat: interdum ex abundantia bonitatis suæ etiam eos qui impedimentum gratiæ* Cap. 161. *præstant*

præstant auxilio suo prævenit avertens eos à malo & convertens ad bonum; & sicut non omnes cæcos illuminat, nec omnes languidos sanat, ut & in illis, quos curat opus virtutis ejus appareat, & in aliis ordo naturæ servetur, ita non omnes qui gratiam impediunt auxilio suo prævenit, ut avertantur à malo & convertantur ad bonum: sed aliquos; in quibus vult suam misericordiam apparere, ita quod in aliis justitiæ ordo manifestetur. Hinc est quod Apostolus dicit Rom. 9. *Volens Deus ostendere iram & notam facere potentiam suam sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ quæ præparavit in gloriam.*

§. V.

Etsi juxta Authorem Appendicis, gratia ab ipso asserta multis sub finem vitæ denegetur, non ideo Deus illos hortatur ad impossibile: cur non eodem modo ipse loquitur de sanis?

SEd instat contra hæc Appendix, quia omnes Christus ad se vocat & ad pœnitentiam hortatur. *Si Christus*, inquit, *hortatur omnes ad agendam pœnitentiam, indubiè omnibus gratiam offert, alias hortatur ad impossibile.* Verum huic objectioni ex verbis Christi desumptæ superiori capite jam est responsum; quod autem addit:
alias

aliàs hortatur ad impossibile, & ipsi solvendum est. Si enim ad omnes Christi vocatio & exhortatio spectet, nec morientes, quamdiu vita superest, veniunt excipiendi. His tamen haud rarò concedit veræ pœnitentiæ gratiam denegari. Illos-ne ergo putat à Christo posse ad impossibile vocari? quicquid hîc dixerit, responso suo constringitur. Aut enim & eis volet veræ pœnitentiæ gratiam offerri, ac per hoc falsum erit quod suprà ex Scripturis & P.P. constare dixerat, illam sæpenumerò vel in extremis negari. Vel ipsos dicet isto omnium numero à Christo ad pœnitentiam vocatorum, non comprehendi. Hoc imprimis haud rectè asserit, cum nec ipsis, si pœnitere velint, clausus sit veniæ locus, & juxta communem Theologorum doctrinam, longè arctius præ sanis ad pœnitentiam obligentur. Ut tamen verum foret, fateatur ergo oportet, non obstante hac Christi vocatione & monitione saltem quibusdam pœnitentiæ gratiam posse non concedi. Jam ipsi probandum est, nemini sano id posse accidere: id autem ex solis his Christi verbis, efficere nequit, quæ inter morientem & sanum nullum insinuant discrimen, ac per hoc ex

ipsis

ipſis ſolis indebitè concludit, ſenſu à ſe intento omnibus ſanis peccatoribus veræ pœnitentiæ gratiam offerri.

§. VI.

Quomodo Deus eis quibus deeſt auxilium completè ſufficiens, non præcipiat impoſſibilia?

HÆc, ut aiunt, argumentando ad hominem adverſùs Appendicem dixerim: cæterùm ut propoſito argumento directè ſatisfaciam, dico ejuſmodi Chriſti adhortationem (idem cenſe & de aliis Scripturæ monitionibus aut præceptionibus) nequaquam evincere jam adeſſe omnibus auxilium, quo proximè & completè ſufficiant, quod eis jubetur adimplere. Nam de juſtificatis ait Tridentina Synodus: *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis.*

Sunt ergò quædam juſſa, quæ ſubinde & juſti nondum poſſunt: ad quæ adimplenda nondum proximè & completè ſufficiens auxilium acceperunt, propter quod ire jubentur ad Deum, & ab ipſo quod adhuc ſibi deeſt, piè ſupplicando implorare. Hoc ſi de juſtificatis rectè dici potuit, quantò magis id de peccatori-

bus

bus ſentiri oportet. Nondum eos proximè & completè poſſe omnia ad quæ vocantur, qui mortiferis cupiditatibus obſequentes nec petunt, nec petere volunt; ſæpè nec eum à quo petendum eſt agnoſcunt. Non tamen eos Chriſtus ad impoſſibile hortatur, quia eorum converſio Dei gratiâ eſt poſſibilis. Quæ gratia ſic omnibus per Chriſtum eſt parata, ut nemini, ſicut oportet, petenti denegetur. Securitas enim nobis data eſt, cum dictum eſt; *petite & accipietis.*

Diutiùs his ſum immoratus, quia id utile arbitrabar, ut pro meo modulo malam quorumdam ſecuritatem, quam ex propoſita Appendicis doctrina verebar confovendam, concuterem. Sunt enim qui malè in peccatis ſuis ſibi blandiuntur, & cum pænitentiæ gratiam omnibus ſic ſemper paratam putent, ut illi liberâ voluntate dumtaxat ſit conſentiendum, hinc longas reſipiſcentiæ ſuæ moras ſolantur. Inane id eſſe impiorum fulcrum dicit & pluribus improbat R. P. Paulus *Lib.* 3. §. 2. Zehentner Societatis Jeſu Theologus in ſuo malæ ſpei Promontorio.

CAPUT IV.

An in eo ſit contradictio, quod orandum & laborandum ſit pro gratia veræ converſionis, & tamen non oretur aut laboretur ſicut oportet, niſi ex gratia? Item an indè ſequatur progreſſus in infinitum?

IN fine Capitis 4. nonnulla proponit Manuductio media v. g. precum, piique laboris congrua, ut à peccati ſtatu peccator reſurgat, ac veræ converſionis donum conſequatur. Diſplicet id Appendici eò quod ultrò ante orationem aliumve laborem veræ penitentiæ gratiam velit omnibus peccatoribus ſic offerri ut *dumtaxat* ſit *illi conſentiendum*. Imo (quod mireris) in iſta Manuductionis doctrina videt contradictionem: *Nam hæc omnia*, inquit, *quæ prærequirit ante converſionem, ſunt ipſamet converſio ſaltem inchoata, & fieri non poſſunt abſque gratia veræ converſionis, & ſic vult peccatores quærant quod jam habent.*

Inepta eſt hæc contradictionis objectio, falſo fundamento innixa, dum omnem etiam inchoatam converſionem putat hic author ad juſtificationem ſufficere.

§. I.

§. I.

Preces aliaquè pietatis exercitia quibus conversio impetratur, non habentur nisi ex gratiâ.

ITaque verum est has preces aliosquè labores ad impetrandam veræ conversionis gratiam, nemo, ut oportet, nisi divinæ gratiæ adjutorio præventus adhibet, sed nec adhibere potest: sic enim in primorum parentum prævaricatione naturalem ad benè operandum possibilitatem perdidimus, ut nec hoc voluntati relictum sit, ut ex semet ipsa sui ad Deum conversionem, quemadmodum oportet valeat vel desiderare. Hic est enim Semipelagianorum error, qui licet istâ transgressione vitiatam omnium nostrûm voluntatem non abnuerent, tamen *nullam*, ait Hilarius, *ita depravatam & extinctam putant, ut non debeat vel possit se velle sanari.* Epist. ad August. Quam eandem Doctrinam & in Cont. Collat. Collatore reprobat S. Prosper. Adversus cap. 8. hos dixit 2. Arausicana Synodus: *Si quis ut à peccato purgemur voluntatem nostram Deum* Can. 4. *expectare contendit, non autem ut etiam purgari velimus per S. Spiritûs infusionem & operationem in nobis fieri confitetur, resistit ipsi Spiritui Sancto per Salomonem dicenti:* PRÆPARATUR

TUR VOLUNTAS A DOMINO : *& Apostolo salubriter prædicanti :* DEUS EST QUI OPERATUR IN NOBIS ET VELLE ET PERFICERE PRO BONA VOLUNTATE.

Uti autem à Deo ejusquè prævenienti gratia ipsum est desiderium, quo quis vult converti, ita quoque ab illo est, quod ex ipso desiderio, ut conversionis gratiam impetret, quis laboret aut precetur. Ac per hoc verè dicit Appendix has preces eosquè labores, non fieri sine gratia saltem inchoatæ conversionis: ipsum enim conversionis desiderium inchoata conversio est: *Qui verò dicunt*, ait S. Anselmus, *converte nos Deus, jam aliquatenus conversi sunt, quia rectam voluntatem habent, cum volunt converti; sed orant pro hoc quod jam acceperunt, ut augeatur conversio. Sicut illi qui credentes, auge nobis fidem dixerunt. Ac si dicerent illi & isti: auge in nobis quod dedisti, perfice quod cœpisti.* Et quia isto desiderio iniquitatem suam peccator improbat & accusat ejusmodi sui accusatores ex parte justos pronunciat Gregorius: *Nemo*, inquit, *fortitudinem suam nisi cum rectus esse cœperit, deprehendit, nam qui omnino perversus est, neque hoc potest videre quod est; qui verò peccatorem se intelligit, jam ex parte aliqua justus esse inchoavit, atque id quod non justus fecerat,*

L. de conc. grat. & lib. arb.

L. 24. mor. cap. 8.

fecerat, ex eo quod justus est, accusat, quâ accusatione suâ Deo inhærere inchoat, dum rectum contra se judicium proferens hoc in se, quod illi sensit displicere, condemnat.

§. II.

Non omnis inchoata conversio sivè conversionis initium cum Sacramento ad justificationem sufficit.

SEd multum fallitur Appendix dum omnem inchoatam conversionem, ac per hoc qualecunque conversionis desiderium æstimat conversionem ad justificationem saltem adhibito Sacramento sufficientem. Conversio enim à fide incipit, qui est primus motus mentis in Deum, & tamen non omnes, qui jam, etiam, ut notat S. Thomas, ex Dei inspiratione credit, à reliquis quoque suis peccatis recedit. Sic inchoatè conversi erant principes illi, qui Salvatori nostro Christo dicti sunt credidisse, sed nondum quantum ad justitiam opus erat, quia adhuc, teste Evangelio, gloriæ hominum quàm Dei amantiores, ut non è Synagoga ejicerentur, ipsum verebantur confiteri. Verùm, ut hos omittam, illos intueamur, qui jam sese à peccatis suis avertere

2. 2. q. 6. a. 2. ad 3.

Ioan. c. 12. vers. 42.

cupiunt & ad Deum converti: Non pauci id desiderant, etiam qui mortiferis suis cupiditatibus nondum, ut oportet, renuntiant. Talis nondum conversus fuit Augustinus. Ipse enim auditâ per Simplicianum Victorini conversione, exardebat ad imitandum: quod rectum erat approbabat, quod in se iniquum videbat improbabat; tamen adhuc, ut ipse dicit, Deo militare recusabat, & timebat omnibus peccati impedimentis expediri. *Voluntas*, inquit, *nova, quæ mihi esse cœperat ut te gratis colerem fruique te vellem, Deus sola certa jucunditas, nondum erat idonea ad superandam priorem vetustate roboratam.* Illâ novâ voluntate inchoatè conversus jam erat, attamen non sic conversus, uti ad justitiam oportet, quia adhuc veteri cupiditate obligatus, ut dictum est, Deo recusabat obedire.

L. 8. Confess. cap. 5.

Sic & hodiè non rarus peccator est: videre est enim plurimos, quos malefactorum suorum mordet conscientia, delectat bonorum justitia, hanc imitari vellent, vitamquè suam commutare atque à peccatis recedere; sed nondum recedunt. Cur istud, citò dico, quia nolunt: à peccatis enim recedere, non aliud est, quàm velle recedere, sed velle for-

titer & integrè. Qui ergo id cupiunt & non faciunt, habent voluntatem aliquam, ſed nondum ſufficientem; habent converſionis ſuæ deſiderium ac per hoc ejus inchoamentum, ſed non complementum: vivit enim adhuc in ipſis malo uſu roborata peccandi voluntas Duæ in ipſis ſunt voluntates, una vetus, quâ ſaturandis cupiditatum ſuarum deſideriis appetunt ſervire; altera nova, quâ motus ſuos & appetitus ad legem Dei cupiunt reſtringere; ſed hæc minor eſt, illa major. Eadem tamen anima volens in utraque; ſed quod vult per hanc, reſpuit per illam, & à quo novâ hac voluntate deſiderat recedere, huic illâ veteri adhuc ampliùs gaudet inhærere. Hinc illa in peccatore lucta, cum conſuetas cupiditates ſuas incipit velle deſerere: malam enim voluntatem quam ſponte & facilè concepit, conceptam non facile ejicit. *Qui pedes in rete mittit*, ait S. Gregorius, *non cum voluerit, ejicit, ſic qui in peccatis ſe dejicit, non mox, ut voluerit, ſurgit.* Et alibi: *Antè caſum à liberis facilè peccata vitantur, ſed ſi nolunt vitare cum poſſunt, poſteà non poſſunt ſi volunt, quia perfectè velle non poſſunt.* *L. 14. mor. cap. 4.* *L. 6. c. 2, in l. 1. reg.*

§. III.

Quid agendum peccatori qui à Deo accepit conversionis initium; sed necdum ipsum complementum?

Istâ ergo divinitùs conceptâ novâ voluntate, quamdiu adhuc parva est & infirma, optat & desiderat peccator cupiditates suas abrumpere, earumque saltem mortiferos affectus à se excludere, sed non excludit. Habet velle, sed non invenit & facere. Propter quod jam ei instandum est, & isto desiderio ad Deum clamandum, ut à quo accepit velle, ab illo accipiat & perficere: utrumque Deus donat: ipse enim est *qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate.* At gratis, nullo præcedente bono voluntatis motu, velle donat, sed plerumque non nisi hac voluntate laboranti ipsumque deprecanti concedit & perficere. *Cum donatum nobis fuerit bonum velle*, ait S. Prosper, *non statim invenimus & facere, nisi quærentibus, petentibus & pulsantibus, ut, qui dedit desiderium, præstet effectum.* Propter quod suos S. Leo hortabatur: *Sabbato apud B. Petrum Vigilias celebremus, cujus nobis orationes suffragabuntur & merita, ut quantum-*

Epist. ad Phil. cap. 2. vers. 13.

Cont. Collat. cap. 8.

tumcumquè fidelibus tribuitur bonum velle, tantum donetur & posse per Dominum nostrum Jesum Christum. De jeju. 7. menf. ser. 7.

Ejusmodi ergo peccatori à peccatis surgere gestienti salubriter dicit Manuductio quibus mediis convenienter conversionis & pœnitentiæ donum sit ei consequendum. Insistat humilitatis operibus quibus animi sui frangat tumorem, quia *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Magna ei & indebita necessaria est Dei miseratio, ad quam consequendam aptius ei consilium non suscipit, quam ut condonando & adjuvando, quantum potest misereatur & proximi: nam *beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Dei sibi opus esse auxilio cognoscat atque ipsi propriam infirmitatem confiteatur: propter hoc enim nonnullos laborare adhuc permittit Deus, & quibus dedit velle non statim donat & facere, ut cum se deficere vident, ipso se egere adjutore intelligant, à quo *danda* sibi sit *victoria per Dominum nostrum Jesum Christum. Potuit hoc Dominus*, ait S. Aug. *sinè difficultate præstare: sed si hoc sine difficultate haberemus, largitorem hujus boni non agnosceremus: si enim primitùs cum vellet, posset, & non sentiret adversus se obtinentes cupiditates,* Iacob. c. 4. vers. 6. Matt. 5. v. 7. 1. Corinth. c. 15. v. 57. in Ps. 106.

nec

nec vinculis suis gravata anima collideretur, suis viribus tribueret, quod se posse sentiret, & non confiteretur Domino miserationes ejus.

Propter quod qui hujusmodi est, & in ista adversum se, & suas cupiditates lucta adhuc videt se vinci, non diffidat, sed agnoscens defectum suum, & quod non sit sibi à se auxilium, ad Dei misericordiam totâ humilitate recurrat, ejusque opem imploret, ut qui ei præveniendo dedit bonum velle, quod noluerat, jam ipsi donet & posse quod vult: hoc est, qui jam à Deo factus est bonæ voluntatis, ut optet & desideret resipiscere, oret ut bona hæc voluntas augeatur, ac tanta fiat, quæ ad excutiendum sponte susceptum peccati jugum, ad veram resipiscentiam, & conversionem sit satis. *Ad hoc enim valet quod scriptum est,* ait D. August. SI VOLUERIS CONSERVABIS MANDATA, *ut homo qui voluerit & non potuerit, nondum se plenè velle cognoscat, & oret ut habeat tantam voluntatem quanta sufficit ad implenda mandata.* Hinc alibi peccatorem alloquitur: *Solve te à peccatis; sed non possum, inquis; clama ad illum:*
In Ps. 57. INFELIX EGO HOMO, QUIS ME LIBERABIT DE CORPORE MORTIS HUJUS! *Veniet enim gratia Dei, ut delectet te justitia, sicut*

ſicut delectabat iniquitas; & homo qui ex vinculis reſolutus es, exclamabis ad Deum: DISRUPISTI VINCULA MEA. Et iterùm: *Illi compediti forſitan volunt ambulare, nec poſſunt, Deumquè precantur ut poſſint, eiquè dicunt: de neceſſitatibus meis erue me, à quo exauditi gratias agunt dicentes: dirupiſti vincula mea.* *In Pſ. 67.*

§. IV.

Converſio inſtanter petenda eſt.

SEd diſplicet Appendici, quod per has preces & labores *tandem* dicat Manuductio veræ converſionis donum concedendum: verùm non ſtatim donari placet magno & S. Pontifici Gregorio: OMNIS, inquit, QUI FACIT PECCATUM, SERVUS EST PECCATI: *Quibus ergo peccata dominantur, per ſe ab eorum jugo liberari nequeunt. Nam ſæpè ad Dominum cum precibus veniunt, liberari petunt, ſed exaudiri non poſſunt: divino ſiquidem judicio cum eis agitur, ut qui noluerunt mala vitare cum poſſent, non poſſint vitare, cum volunt; & qui ſponte incurrunt mala præcognita, fugere non poſſint experta.* Iſtud autem non ſic intelligit, ac ſi numquam ſint exaudiendi, ſed quod nonnumquam longâ eis ad hoc opus ſit & multâ prece; ea propter expo- *L.4.cap.2. in l. 1.Reg.*

nens

nens 4. Pſalmum pœnitentialem, ejuſ-
In Pſal. 4. Pœniten. v. miſerere. modi peccatorem alloquitur: *Agnoſce interius vulnerate medicum tuum, & ei peccatorum tuorum vulnera detege: audiat cordis tui gemitum, cui omne patet cogitationis arcanum: moveant illum lacrymæ tuæ, & quadam illum importunitate quærendi ſemper ad eum alta de profundo cordis ſuſpiria educito: perveniat ad eum dolor tuus, ut dicatur etiam tibi: tranſtulit Dominus peccatum tuum.* Vides hinc, Lector, alium eſſe iſtius eruditi ac S. Eccleſiæ Doctoris ſenſum, & aliam hujus Appendicis Doctrinam: ait enim num. 55. *Addo quod non ſit opus inſtanter petere id quod Chriſtus ultrò offert, invitans nos multis locis ad pœnitentiam.*

§. V.

Etiam juſtis neceſſaria ipſis gratia eſt imploranda.

HOc autem omnino improbabiliter dici, vel hinc apparet, quod nec juſtis ad cavenda peccata, juſteque vivendum neceſſaria gratia ſic ſit oblata. Docet hoc Romanus Pontifex S. Innocentius, tantus vir, ut ejus jam demortui dictis nec Cœleſtius auſit refragari, & Papæ Cœleſtino adverſus Semipelagiano-

Aug. l. 2. de pec. orig. c. 7. l. 2. ad Bonif. c. 3.

gianorum controversias satis fuerit doctrinam ejus producere. Hic ergo S. Pontifex Carthaginensi rescribens Concilio: *Nisi magnis precibus*, inquit, *gratia in nos implorata descendat, nequaquam terrenæ labis & mundani corporis vincere conemur errores, cum pares nos ad resistendum, non liberum arbitrium, sed Dei solum facere possit auxilium.* Et iterum Patribus in Milevitano Concilio congregatis litteras dirigens: *Quam* (Dei gratiam) *necesse est*, inquit, *etiam restitutâ nobis status pristini libertate quæramus: quippè nec alias Diaboli machinas, nisi eâdem possumus juvante vitare*: Et ex eodem refert & approbat Pontifex Cœlestinus: *Quod ergo*, ait, *tempus intervenit, quo ejus non egeamus auxilio? in omnibus igitur actibus causisquè, cogitationibus, motibus adjutor & protector orandus est: superbum est enim, ut quidquam sibi humana natura præsumat, clamante Apostolo: non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed contra principes & potestates aëris hujus, contra spiritalia nequitiæ in cœlestibus.* Hinc inter secundæ Arausicanæ Synodi definitiones, decima est: *Adjutorium Dei etiam renatis ac sanctis semper est implorandum, ut ad finem bonum pervenire vel in bono possint opere perseverare.* Propter quod hac ratione à Tridentinis Patribus dictum est Sessione

Est epist. 91 inter epist. August.

Est epist. 93

Epist. ad Episc. Gall. cap. 9.

Ephes. c. 6. vers. 12.

ne 6. Justificatis impossibilia non præcipi, quia Deus jubendo monet facere, quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat ut possis: in ejus enim bonitate præparatum nobis auxilium est, quod nemini debitè & ut oportet petenti denegatur. Hinc S. Leo Deum inducit monentem: *Me diligite & ab iis, quæ mihi displicent, abstinete: facite quod amo, amate quod facio. Et cum videtur esse difficile quod jubeo, ad jubentem accurrite: ut unde datur præceptum, præstetur auxilium. Non negabo opem, qui tribui voluntatem.* Hoc Ecclesia observat, dum ex Christi Magisterio non solum ab incipientibus, sed & à provectissimis hujus vitæ sanctis, indies Deo supplicatur & dicitur: *Et ne nos inducas in tentationem.*

Ser. 9. de Iejun. 7. mens.

§. VI.

Concluditur Dei gratiam præcipuè à peccatoribus debere implorari.

PLacet huic Authori, quod ultrò offertur, non opus esse instanter petere. Ecce quæ justis & sanctis etiam pro necessario adjutorio opus sit orationis instantia: *Magnas preces* requirit Innocentius, *in omnibus actibus, causis, cogitationibus,*

bus, *motibus*: *Deum orandum*, dicit ex ipſo Cæleſtinus: *Adjutorium Dei ſemper implorandum* decernit Synodus Arauſicana; deniquè ut non inducatur in tentationem, indies quaquà patet per totum orbem Catholica precatur Eccleſia. Quid poſtulat, niſi neceſſarium ſibi ut in tentationem non inducatur, hoc eſt, ut tentationi non ſuccumbat divinum adjutorium. Hoc ſi jam ultrò eis oblatum adeſſet non inſtanter petendum foret, ſed *illi dumtaxat conſentiendum*. Ejuſmodi ſi ſanctorum ſit & juſtorum conditio, quæ erit impiorum? certè longè inferior horum cauſa eſt. Juſti enim viva membra corporis Chriſti ſpiritu ejus vivificata copioſioris & uberioris gratiæ juxta ordinarium capitis influxum fiunt participes, ac de ejus plenitudine accipiunt: peccatores verò aut membra non ſunt aut mortua. Illos Deus non deſerit niſi deſertus, ab his jam deſertus eſt. Illi ſeipſos regendos ſubdunt, hi propriâ voluntate delectati ipſum dedignantur habere rectorem. Illi ab omni mortifero affectu liberi, occurrentibus concupiſcentiæ ſuæ illecebris minus operosè reſiſtunt; hi vincentibus & vincientibus cupiditatibus implicati, difficillimè ab earum ſatu-

Ser. de trip. miser. randis desideriis recedunt, & non nisi in brachio forti, ut ait D. Bernardus, susceptum semel peccati jugum abjiciunt, & tamen ut in suscepto proposito perseverent justi, opus est in eos *magnis precibus implorata gratia descendat.* Quantò magis hæc orationis instantia peccatoribus necessaria est, ut à peccatis resurgant & cupiditatum suarum compedes disrumpentes debitè se ad Deum convertant?

§. VII.

Objectio quædam Authoris Appendicis non ferenda.

SEd objicit num. 246. Appendicis Auctor: Et ad has preces Dei gratiâ opus esse, ac per hoc alias preces pro ista gratia adhibendas, & sic procedi in infinitum.

Miror si hæc seriò opponat: quid enim? an ut vitiosus in infinitum vitetur progressus gratiam Dei putat non esse à nobis implorandam? sed jam contradicit citatis Pontificibus & Conciliis, imo universæ Catholicæ Ecclesiæ indies tam sæpè deprecanti, in tentationem non induci. Quin & ipsi sacræ Scripturæ toties oratio-

orationem præcipienti, aut dicit ex innatis naturæ viribus volendo aut orando gratiam Dei nos conſequi; aſt hic Semipelagianorum eſt error quem damnans 2. Arauſicana Synodus: *Si quis*, ait, *invocatione humanâ gratiam Dei dicit poſſe conferri, non autem ipſam gratiam facere ut invocetur à nobis, contradicit Iſaiæ Prophetæ vel Apoſtolo idem dicenti:* INVENTUS SUM A NON QUÆRENTIBUS ME, PALAM APPARUI HIS QUI ME NON INTERROGABANT: Utrumquè proindè inconcuſsè tenendum eſt, & gratiam eſſe implorandam, & non implorari niſi ex gratia. *Hujus gratiæ adjutorium*, ait S. Fulgentius, *ſemper eſt nobis à Deo poſcendum, ſed ne ipſum, quod poſcimus, noſtris viribus aſſignemus: neque enim haberi poteſt ipſe ſaltem orationis affectus niſi divinitùs fuerit attributus. Vt ergo deſideremus adjutorium gratiæ, hoc ipſum quoque opus eſt gratiæ: ipſa namque incipit infundi ut incipiat poſci; ipſa quoque amplius infunditur, cum poſcentibus datur.*

Can. 3. Iſaiæ 65. Rom. 10. Epiſt. 6. c. 7.

Vt ergo, ait idem S. Antiſtes, *gratia Dei cognoſcatur & diligatur, deſideretur ac poſtuletur, prius donatur homini non cognoſcenti, non diligenti, non deſideranti neque poſtulanti.* Ut meritò, quia veraciter, dixerit Gregorius: *Nemo, ut divina illum gratia ſubſequatur,*

Lib. 1. de verit. præd. cap. 16. Lib. 33. mor. cap. 25.

quatur, prius aliquid contulit Deo: nam si nos Deum benè operando prævenimus, ubi est quod Propheta ait: MISERICORDIA EJUS PRÆVENIET ME? *Si quid nos bonæ operationis dedimus, ut ejus gratiam mereremur: ubi est quod Apostolus dicit:* GRATIA SALVATI ESTIS PER FIDEM, ET HOC NON EX VOBIS, SED DEI DONUM EST, NON EX OPERIBUS. Itaquè omnino gratis, id est ante omne meritum, ante omnem bonæ voluntatis motum, prorsus immeritis primitùs gratiam suam Deus donat, sed tamen non quidquid ad plenitudinem ejus pertinet, simul largitur: ut scilicet homo jam aliquâ Dei gratiâ donatus, per ipsam petendo, quærendo atque pulsando, quod adhuc de illa sibi deest, & jam suo labore & annitentiâ consequatur. *Quamvis enim omnia bona*, ait S. Prosper, *dona sint Dei, & à Deo tamen quædam etiam non petita tribuuntur, ut per ipsa, quæ accepta sunt, ea, quæ nondum sunt data, quærantur.*

Lib. 2. de voc. gent. cap. 8.

Isto modo intelligenda est peccatoris conversio. Voluntas Dei prævenit voluntatem ejus, ut à se aversum revocet ad pænitentiam, non solum monitione aliquâ exterius, sed secretâ operatione interius, quâ fit ut sibi peccator displicere incipiat & errati sui iniquitatem agnosce-

re,

re, atque odisse, tum deindè converti desiderat, & à peccatis suis resipiscere. Hæc divinæ gratiæ operatio est, inchoans in illo exordium bonæ voluntatis, præveniens conatum ejus atque orationem: qui nunc benè conatur aut orat, jam habet aliquid bonæ voluntatis, & hoc ex prima gratia, quæ ei data est non conanti aut oranti ut inciperet esse bonæ voluntatis, qui fuerat malæ. Sed hac perceptâ jam Deo adjuvante & cooperante conandum ei est, laborandum est, orandum est, ut in bona voluntate proficere possit, quousque perveniat ad eam mensuram, quæ ad avertendum animum à peccatis & debitè convertendum ad Deum sufficiat.

Frustra igitur progressus ille in infinitum obtenditur: nam quamvis labore & oratione conversionis donum peccatori comparetur, ipsi tamen non laboranti & non oranti data est gratia, ut laborare & orare inciperet.



CAPUT V.

An qui dicit instanter orandum pro dono pœnitentiæ, indignè loquatur de bonitate Dei, & aperiat peccatoribus viam ad diffidentiam & desperationem, eosquè præcipitet in labyrinthum perpetuæ incertitudinis?

VEræ pœnitentiæ gratiam non sic omnibus peccatoribus ultro offerri, ut eis opus non sit eandem instanter petere, superiori capite sufficienter, ut arbitror, est firmatum: sed non acquiescit Appendix, & nu. 255. vult id esse minus dignè loqui de bonitate Dei; & aperire peccatoribus viam ad diffidentiam & desperationem.

§. I.

Qualiter de bonitate Dei loquendum?

VErùm de bonitate Dei qualiter loquendum sit, omissis phantasmatibus nostris, juxta veritatis regulam est
cb. 13. v. 7 definiendum. Non enim *indiget* illa *mendacio* nostro ut commendetur: suis ipsa operibus, operandiquè modo magna est & laudabilis nimis.

Cu-

Cujusmodi sese peccatoribus exhibeat, non ex nostro placito præsumamus, sed quantum id ipsa nobis notum facere dignata fuerit pervestigemus. Bonus est Dominus quia *præstabilis super malitia.* Bonus est quia *in multa patientia sustinet vasa iræ aptata in interitum.* Bonus est quia *eos qui exerrant partibus, corripit, & de quibus peccant, admonet & alloquitur, ut relictâ malitiâ credant in se, & judicans dat locum in peccatis pœnitentiæ.* Bonus est quia verè pœnitentium *cor contritum & humiliatum non despicit:* sed licet *peccata* eorum *fuerint ut coccinum, quasi nivem dealbat.* Bonus est quia quos per Baptismum in gratiam recipit, omnem delet & culpam & pœnam. Bonus est quia post Baptismum naufragis, secundam reliquit pœnitentiæ tabulam. Bonus est, quia etiam millies relapsorum, *nullas apud eum patitur veniæ moras vera conversio.* Deniquè bonus est quia *pœnitentia nunquam est apud Deum sera.* Ecce in quibus merito quia veraciter exclamamus: *O quam bonus & suavis est Domine spiritus tuus in omnibus.*

Ioël 2. v. 13.
Rom. 9. v. 22.
Sapient. 12. v. 2. 19.
Psal. 50.
Is. 1. v. 18.
S. Leo Ep. 91.
Hier. ep. 48 *ad Sab. c.* 4.
Fulgent. ep. 7. *cap.* 7.
Sap. 12. v. 1

§. II.

Non obstat bonitati Divinæ quod peccatores & præcipuè inveterati non sint securi, quod Deus illos posteà convertet.

NOn habet autem ejus bonitas, ac per hoc indignè id ei tribuitur, quod non conversis peccata indulgeat. Voluntariè peccantibus suisque cupiditatibus quantum & quousquè libuerit servientibus, accipiendi pœnitentiæ temporis aut conversionis gratiæ, cum eis placuerit, non donat securitatem; terret potius omnes cum per Hagiographos suos scribi voluit, quosdam ob præcedentium delictorum suorum demerita dimissos secundum desideria cordis sui, à se traditos in reprobum sensum, excœcatos & obduratos. Post acceptam notitiam veritatis & baptismi innocentiam sponte relapsis ad eam rursus *novitatem & integritatem per Sacramentum pœnitentiæ sinè magnis eorum fletibus & laboribus suâ id exigente justitiâ, non concedit pervenire. Vt merito pœnitentia laboriosus quidam baptismus à sanctis Patribus dictus fuerit.* Quem verò in peccatorum conversione modum teneat, qualiter ejs pœnitentiæ donum largiatur, ut

Conc. Trid. Sess. 14. c. 2

ut dignè de ea loquamur, iterum dico non phantaſmata noſtra, ſed quantum datum fuerit, veritatem ſequamur. Revelavit in Scripturis ſuis qui ſolus *bonus eſt Deus*, ſe à nobis velle orari, ſe velle inſtanter orari, ſe velle importunitate quadam, ſua ſibi dona extorqueri. Hoc pauperis viduæ aſſiduitas, hoc importuni amici docet improbitas, iſtud ejus in nos bonitatem non minuit ſed auget. Nobis enim utile eſt neceſſitate quadam cogi ad ipſum recurrere, ad ipſum frequenter affectum levare, ipſum bonorum noſtrorum largitorem, augmentatorem, ſervatorem recognoſcere. Hinc Dei bonitate indignum non eſt quod & juſtos velit *magnis precibus* neceſſarium ſibi auxilium implorare, propter quod dicit eis Tridentina Synodus, *ut cum timore ac tremore ſalutem ſuam operentur in laboribus, in vigiliis, in eleëmoſynis, in orationibus & oblationibus, in jejuniis & caſtitate.*

Matth. 19. *verſ.* 17.
Luc. 18.
Luc. 11.
Seſſ. 6. *cap.* 13.



§. III.

Ad bonitatem Dei spectat ut contemptores Dei sinantur, dum se convertere volunt, diutiùs cum suis concupiscentiis luctari.

MInus proindè ab eodem optimo & clementissimo Deo alienum censeri debet, si & impios, à quibus diu sæpè despectus est, sibi pro conversionis dono velit esse importunos. Hoc quoque ejus ad ipsos bonitatem commendat, quod eos jam surgere volentes, sinat cum vitiis & concupiscentiis suis nonnihil adhuc luctari. Isto enim modo eis persuadet in quæ mala sese peccando præcipitârunt, ut ita ex difficultate liberationis posteà diligentior sit custodia re-
In Psal. 6. ceptæ libertatis. *Non ergo*, ait D. Augustinus, *tanquam crudelis Deus æstimandus est cui*, (ab ejusmodi peccatrice anima Deum ut à vitiis suis resurgat, deprecante) *dicitur*, ET TU DOMINE USQUEQUO? *Sed tanquam bonus persuasor animæ, quid mali sibi ipsa pepererit. Nondum enim tam perfectè orat hæc anima, ut ei dici possit*, ADHUC LOQUENTE TE DICAM, ECCE ADSUM. *Simul ut etiam illud agnoscat, quanta pœna impiis præparetur qui se nolunt convertere ad Deum,* si

si tantam difficultatem convertentes patiuntur. Rectè proindè admonet S. Gregorius: *Clamet & peccator, quem à Deo recedentem cupiditatum tempestas contrivit, quem malignus hostis absorbuit, quem præsentis sæculi fluctus involvit: agnoscat se esse in profundo, ut ad Deum suâ perveniat oratio,* DE PROFUNDIS CLAMAVI AD TE DOMINE. *In quo notandum, quia non ait: clamo sed clamavi. Habes in hoc perseverantiæ documentum, ut si primo non exaudiris, ab oratione non deficias, imo precibus & clamori insistas. Vult Deus rogari, vult cogi, vult quadam importunitate vinci. Ideò tibi dicit: regnum Dei vim patitur, & violenti rapiunt illud.*

In Psal. 6. Pænit. v. de Profundis.

§. IV.

Doctrina Manuductionis docens pro conversione instanter orandum, desperationem impedit potius quàm eam suscitet.

SEd istud, ait Appendix, aperit peccatoribus viam ad diffidentiam & desperationem. Econtra viam istam claudit, dicendum fuerat, eosque facit confidere. Magna est enim plerumquè maximè inveterati peccatoris angustia, cum mortiferis delectati, omnibus servire consuetus, ab iisdem sese cogitat expedire.

re. Bonum videt, & approbat indè abrumpere amorem & ad virtutem conferre: ſed adhuc videt ſe detineri, videt ſe vinci, videt ſe fruſtra conari. Diverſis voluntatibus cor ejus diſtenditur, miſerequè diſcerpitur, dum novam vitam appetit, ſed adhuc veteri cupiditati ſuccumbens à conſuetis delectationibus timet abſcedere. Accedit & ſtygius Pharao qui acrius premit quos jam videt ditionem ſuam meditari deſerere. Ut enim poſt S. S. [a] Cyrillum, Alex. & [b] Iſidorum notat [c] S. Bernardus: *Quotidianis diſcimus experimentis, eos qui converti deliberant, tentari acrius à concupiſcentia carnis: & urgeri gravius in operibus luti & lateris, qui Ægyptum egredi & Pharaonis imperium effugere moliuntur.* Omitto vanos timores quibus non modicè ſæpè conturbatur & à converſione retardatur. *Multos enim ſæpè videmus*, ait S. Gregorius, *viam quidem ſanctæ converſationis appetere, ſed ne hanc aſſequi valeant, modò irruentes caſus, modò futura adverſa formidare. Qui incerta mala dum quaſi cauti proſpiciunt, in peccatorum ſuorum vinculis incauti retinentur. Multa enim ante oculos ponunt, quæ ſi eis in converſatione eveniant, ſubſiſtere ſe non poſſe formidant.*

a *Lib.* 1. *de ador. in ſpir.*
b *Sent. l.* 2. *cap.* 9.
c *De conv. ad cler. cap.* 11.
L. 30. *mor. cap.* 23.

§. V.

§. V.

Doctrina Appendicis multos ad desperationem adigit.

IN his omnibus una peccatori spes esse potest, divinæ gratiæ subventio. Sed si jam ultro hanc sibi oblatam putet, ut *illi dumtaxat* sit *consentiendum*, existimat Deum ex se & sua parte quod suum est jam præstitisse: quod autem reliquum est, à se & suo arbitrio oportere exspectari. At se cernit deficere, cernit se etiam volentem & repugnantem pravæ suæ cupiditati succumbere. Experimento discit arbitrii sui infirmitatem. Atque ita facile diffidit id reliquum se præstiturum, ac per hoc conversionis suæ spem, aut in futurum differt aut etiam omnino abjicit, & iterum ut prius ad consueta relabitur.

§. VI.

Rursus ostenditur quod doctrina Manuductionis desperationem arceat.

SEd huic occurrit, atque hanc ei diffidentiæ viam claudit ista, quam modò proposui doctrina. Eum quippe jubet

bet Salvatorem ſuum Chriſtum accedere, qui ad iſtas animæ noſtræ ſanandas plagas, magnus medicus ad nos venit. *Non egent*, inquit, *qui ſani ſunt medico, ſed qui malè habent, non veni vocare juſtos ſed peccatores ad pœnitentiam.* Huic omnipotentiſſimo medico noſtro nulla eſt incurabilis plaga, nullus animi morbus inſanabilis. Ille nos ad ſe invitat cum dixit: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis & ego reficiam vos.* Propter quod meritò Auguſtinus: *Omnipotenti medico nihil eſt inſanabile, non renuntiat alicui, opus eſt ut curari velis, opus eſt ut manus ejus non refugias.* Hoc tamen ſic nemo intelligat acſi à nobis ſit ſanitatis deſiderium, ut eo merito nobis jam detur ſanationis beneficium. Iſtud enim ut Semipelagianum jam ſupra eſt reprobatum: ſed potius ut curationem noſtram ejus in nobis præcedat voluntas. Quæ tamen, ut rectè adverſus Collatorem S. Proſper, ab ipſo qui nos ægros ſanaturus eſt, nobis infunditur: ſed hoc fiduciam non minuit ſed auget. Non enim repellet volentes, & ad ſe accedentes ejuſquè medicinam implorantes, qui nos non volentes fecit volentes, fecit ad ſe accedere, fecit medicinam ſuam implorare:

Luc. 5. v. 31. 32.

Matth. 11. *verſ.* 28.

In Pſ. 58. *Conc.* 2.

Cap. 8.

non

non enim negat, ait Bernardus, qui inci- *Ser. de Can. Ezech.*
tat ad quærendum.

§. VII.

Id ipsum ampliùs confirmatur

IN illa ergo cordis angustia constitutus peccator, cum se videt frustra adversùs vitia sua conari, & non posse suâ virtute susceptum peccati jugum excutere, propterea diffidere non potest, quia illum sibi habet propositum medicum & adjutorem, quem pio affectu accedendo, ipsi animæ suæ plagas aperiendo, ejus opem ardenter instanterque desiderando & implorando sanari potest & liberari. Hæc est unica consolatio, hæc tota ratio spei eju; hinc enim ei supplendum est quidquid adhuc sibi videt deesse. Ligatum se cernit difficultatibus suarum cupiditatum, *sed Dominus solvit compeditos,* *Ps. 145. v. 8.*
Dominus illuminat cæcos & erigit elisos. Infirmum se cernit qui per justitiæ semitam incedat: sed Deus dicit: *Quod confractum* *Ezech. 34. vers. 16.*
fuerat alligabo, & quod infirmum fuerat consolidabo. Conspicit se non posse suis viribus à consuetis vitiis continere: sed nemo potest *esse continens nisi Deus dederit*, dat au- *Sap. 8. v. 21.*
tem iis qui gemitu interno pulsant au-

res ejus & fide ſolidâ in ipſum jactant curam ſuam. Denique in iſta adverſum ſe lucta adhuc dolet ſe vinci: ſed ille dat

1. Corinth. c. 15. v. 57. victoriam cui dicitur: *Deo autem gratias qui dedit nobis victoriam per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.*

Hæc oranti ſequè deprecanti Deus donat. Nequè diffidendum ſi nonnunquam longiori opus ſit prece. Non enim diffiditur ſub homine medico dum duris mediis & diutinâ morâ morbus ſanatur. Imo id omnem fiduciam firmat, quod ille ſe orari velit, noſque donec impetremus etiam importunæ precationi inſiſtere, qui ſolus poteſt juvare. Niſi enim & vellet non incitaret ad petendum. Neque peccatores removet. Ut

Conſt. mon. c. 2. enim, quemadmodum id notat S. Baſilius, peccatori diffidentiam præſcinderet, amicum propoſuit ab amico exauditum, non quia amicus, ſed quia illi intempeſtâ nocte clamando & pulſando importunus. Hinc meritò Ludovicus de

Dux ſpirit. tr. 1. c. 15. §. 2. Ponte: *Quod ſi ſupremus hic Redemptor*, inquit, *alieno quaſi animo reſponderet Chananeæ: non eſt bonum ſumere panem filiorum & mittere canibus: Tu non propterea confidentiam deponas, nec ceſſes clamare. Pervincet enim tua perſeverantia quamcumque difficultatem, trahitquè*

bitquè ipſum ad id quod ipſimet eſt valdè gratum: ad dandum ſcilicet tibi petitos panes (contritionem, confeſſionem & ſatisfactionem) *& virtutes reliquas ad ſalutem & perfectionem tuam neceſſarias. Quod ſi panes illos non tibi accommodaverit titulo amicitiæ, ſi fortè adhuc es in peccatis, dabit illos tamen ob confidentiam quam habes in ejus miſericordia, & propter importunitatem quam adhibes in ea ad id trahenda.*

§. VIII.

Manuductio non conjicit homines in labyrinthum perpetuæ incertitudinis.

SEd aliud profert Appendix nu. 244. quod hæc videlicet doctrina præcipitet peccatores in labyrinthum perpetuæ incertitudinis & diffidentiæ. De diffidentia jam dilutum eſt: ſed ſupereſt labyrinthus perpetuæ incertitudinis. Verùm hîc fruſtra obtenditur, non enim in illum propoſita doctrina peccatores præcipitat, ſed præcipitatos eruit. Certam enim ac tutam (quod nec ipſe Appendicis Author diffiteri poteſt) monſtrat viam, cui inſiſtendo timidam de ſua juſtitia ambiguitatem quiſque eſt evaſurus. Si quem forſan malè ſecuris ſcrupulum

lum aut metum injiciat, id ei minimè est vitio dandum. Quod autem ut primo quisque piè compungi cœperit, & consuetas delectationes velle deserere, eum nolit ilicò de conversione sua esse securum, sed adhuc pro conversionis dono laborare & orare, reprehendi non debet; firmis enim id asserit argumentis, & præeuntes habet, ut alios taceam, quos infra dabo, Augustinum & Gregorium.

§. IX.

Quam noxia securitas quæ falsò datur incipientibus converti.

MUltis autem noxia est quæ eis facilè à nonnullis datur in peccatis securitas. Hinc enim fit ut qui converti cœperant, jam inchoatè conversi accepta illa securitate, plenius, hoc est, quantum ad justificationem opus est, converti non nitantur. Hinc quosdam reprehendit S. Isidorus: *Sunt, inquit, qui pœnitentibus securitatem citò pollicentur, quibus benè per Prophetam dicitur:* CURABANT CONTRITIONES FILII POPULI MEI CUM IGNOMINIA DICENTES, PAX ET NON ERAT PAX. *Cum ignominia igitur curas contritionem, qui peccanti & non legitimè pœnitenti,*

Sent. lib. 2. c. 13. n. 15

Ieremiæ 6. vers. 14.

nitenti, promittit securitatem; unde & sequitur: CONFUSI SUNT QUIA ABOMINATIONEM FECERUNT: id est, *confusi sunt non pœnitendo sed pœnas luendo.*

CAPUT VI.

Vtrum attenta & devota recitatio oratiunculæ continentis actum contritionis, reddat Confessarium & pœnitentem sufficienter certum de contritione ut detur absolutio?

NUm. 252. reprehenditur Manuductio quod S. Gregorii doctrinæ insistens dicat: deceptioni locum esse posse, dum quis se verè contritum judicat, eò quod orationem contritionis formulam continentem attentè vivaciterque perlegerit. Vivaciter intelligit, dum quis vivaci animi motu ad ea quæ dicit eorumque significatum sese reflectit. Hinc sese nonnullos fallere asserit, qui quod in intellectu est, habere se quoque putant in affectu.

Omitto contradictionem quam hîc iterum videt Appendix, cum alio sensu vivaciter legere, velit esse cum affectu legere. Quamvis nec sic foret contradictio, non enim omnis affectus est con-

tritionis affectus, quisquis proindè vivaciter, hoc est cum affectu, sed alio quàm contritionis, ejusmodi contritionis formulam legerit, habet contritionem in intellectu & non in voluntate. Sed pergit Appendix:

Quandoquidem pœnitentes communiter hanc orationem legant cum intentione seu voluntate eliciendi actum contritionis, quomodo dici potest hic deesse voluntatem?

§. I.

Non omnes, qui formulas contritionem significantes, cum desiderio contritionis legunt, idcirco habent contritionem.

QUid igitur? an nunquam hîc deesse potest voluntas? si dixerit posse, rectè dixit Manuductio in ista ejusmodi formulæ recitatione, voluntatis defectu posse errorem subesse, ac per hoc inaniter se ei opponit Appendix. Sin autem posse neget, multipliciter redarguitur. Ut enim alia omittam, an non deest multis hæreticis, qui intentione seu voluntate eliciendi actum contritionis suas formulas legunt, Deoque confitentur, cum tamen in sua hæresi maneant pertinaces? an non deest multis Catholicis qui

qui ejusmodi precatione ad confessionem sese præparant, & tamen interrogati, aliquo temporali intuitu dicunt se non posse nec velle ab hoc aut illo delicto cavere? *Sunt nonnulli*, ait S. Gregorius, *qui ut fruantur hoc sæculo, transitoriè uti volunt Deo.* Cum enim præesse ac curare res humanas Deum credant, ad hoc ipsum colunt ut explendis ac saturandis pravis suis cupiditatibus eis opituletur. Hac intentione (quæ procul dubio perversa est, & sicut dicit Augustinus, propria terrenæ civitatis) possunt, ut Deum placent, confessionem instituere, aut ejusmodi oratiunculæ lectione contritionis velle actum elicere: an hîc voluntas non deest; aut hac intentione, quis dicere audebit, actum contritionis elici? Videt ergo quomodo dici possit hic deesse voluntatem.

Lib. 2. mo. cap. 9.

Lib. 15. de civ. Dei cap. 7.

§. II.


Neque omnes qui pio compunctionis affectu formulas istas legunt, propterea habent eam quam oportet, pœnitentiam & conversionem.

SEd quid dum quis rectâ intentione, id est, pio compunctus affectu, ut contritionis actum eliciat, ejusmodi orationem

legit, an tum nunquam deest voluntas? Ille hoc dixerit qui nescit quàm sæpe voluntas imperet sibi & non obsequatur. Mi-
L. 8. conf. cap. 9. rabatur id Augustinus: *Unde hoc monstrum,* inquit, *& quare istud? imperat animus corpori & paretur statim, imperat animus sibi & resistitur; imperat inquam, ut velit, qui non imperaret nisi vellet, & non fit quod imperat. Sed non ex toto vult, non ergo ex toto imperat: nam in tantum imperat in quantum vult, & in tantum non fit quod imperat, in quantum non vult. Quoniam voluntas imperat ut sit voluntas nec alia sed ipsa, non utiquè plena imperat, ideò non est quod imperat, nam si plena esset, non imperaret ut esset, quia jam esset. Non igitur monstrum est partim velle, partim nolle, sed ægritudo animi est, quia non totus assurgit veritate sublevatus, consuetudine prægravatus. Et ideò sunt duæ voluntates quia una earum tota non est, & hoc adest alteri quod deest alteri.*

Isto ergo modo non paucis dum converti incipiunt, ut contritionis actum eliciant, ejusmodi contritionis formulam legentibus adest voluntas, quia volunt conteri, sed non conteruntur, quia contrario pravo affectu nondum, ut oportet, exuti, non plenè volunt. Uti autem non plenè volunt, neque ex toto converti desiderant, ita nec plenè aut ex to-

to orant. Oratio enim ſequitur deſiderium, cujus eſt interpres: orando quippe petimus quod appetendo deſideramus. Et inanis apud Deum eſt clamor oris, quem non exprimit deſiderium cordis: quia ut recte Auguſtinus, ad cor hominis aures Dei. *In Pſ. 119.* Quiſquis ergo jam ſurgere ſeſeque ad Deum convertere geſtiens, imperfectè id adhuc vult & deſiderat, etiam ut id conſequatur, imperfectè poſtulat, ac per hoc non mirum ſi non illiſo exaudiatur. *Nondum enim*, dicebat ſuperius Auguſtinus, *tam perfectè orat hæc anima ut ei dici poſſit, adhuc loquente te dicam: ecce adſum.* Valde autem ipſi præſumptuoſum foret ſe etiam imperfectè, & ut ita dicam, ſemi-volendo, orantem, ſtatim velle exaudiri, cum præcipuè longanimitas & perſeverantia orantibus à Salvatore ſit indicta, & à quibuſdam velit orationis piâ improbitate & clamoris importunitate ad ſubveniendum cogi.



§. III.

Non sufficit ejusmodi legisse formulas, sed ad alia ulterius progrediendum.

NOn ergo inutilis est aut omittenda ejusmodi precationum lectio; sed multis valde noxia est, his leviter recitatis, sufficientis conversionis & contritionis præsumptio. Cum enim jam converti cœperint, sed adhuc non ita ut omnes mortiferas cupiditates, quibus addicti sunt, à se, ut oportet excludant; ad hoc proficere debent, & piè allaborando, humilitatis & misericordiæ operibus insistendo, Deumque humiliter & perseveranter deprecando perficere possunt: sed istâ jam perfectæ conversionis præsumptione, proficiendi sollicitudinem & conatum deponunt, ac per hoc non convertuntur sed quasi in via intercipiuntur.

Non rectè itaque subdit Appendix: *Dato quod hoc non obstante contingat aliquem non habere verum dolorem, si tamen hanc orationem devotè legat, nec ipse nec confessarius potest hunc defectum scire, & consequenter licet Sacramentum in tali casu sit nullum, nec pœnitens nec confessarius peccat.*

Cum enim uti monstratum est ad peccatoris

catoris maximè inveterati conversionem communiter satis non sit ejusmodi precatiunculæ semel facta recitatio, hâc adhibitâ regulariter nec pœnitens, nec Confessarius, nisi temerariè judicare potest omnem defectum esse sublatum, ac pœnitentem debitè conversum.

§. IV.

Nec sufficit ejusmodi formulas etiam cum sensibili devotione, imò & cum lachrymis legisse, neque talis sensibilis devotio semper à Deo est.

SEd quid si ejusmodi precatiuncula sensibili cum devotione & lachrymis fuerit recitata? Et tum fallaciam subesse posse asserit Manuductio. Contra Appendix num. 253. *Hoc est*, ait, *nimium diffidere, & omnes peccatores in desperationem præcipitare.*

Verùm sensibilem istam, quam dicunt, devotionem unà cum conjunctis ei lachrymis fallacem esse posse, & impiis inesse, est in comperto. *Solida animi jucunditas*, ait cum bonorum omnium sensu nuper defunctus Eminentiss. Card. Bona, *non in fervoris affluentia, non in sensibili dulcedine, non in mollibus quibusdam affectibus & lachrymis consistit: nam etiam Turcæ & alii* *Princip. vitæ Christ. p. 1. §. 44.*

 infide-

infideles in suis precibus & sacrificiis hæc interdum experiuntur.

Refert de quodam Aëlredus D. Bernardo coævus, *Qui cum immani vitiorum gurgite absorptus omni se spurcitiæ & immunditiæ traderet, nihil prorsus flagitii perhorresceret; in tali vita sæpiùs compungebatur, sæpiùs lachrymabat: nec solùm timore pœnæ & peccatorum suorum recordatione, quod fortè nemo miraretur, sed etiam miro affectu in amoris Jesu dulcedinem resolutus, quodam mentis osculo ipsum videretur amplecti.* Ejusmodi proindè sensibilis compunctio non semper legitima est debitæ conversionis probatio, quia & nonnunquam à Dæmone ortum habet, qui sæpè emollit corda hæreticorum, aliorumque perversorum, eosque, commovendo humores, ad lachrymas flectit, ut decepti sibi persuadeant se à recta via non aberrare. Hâc suâ arte quandam nuper plures annos quoque octiduo, pro festorum occurrentia, bis tervè sacrilegè fecit communicare: quod in initio quidem nonnihil repugnante conscientiâ, sed de cætero suscepto venerabili Domini Corpore, miræ dulcedinis gustu perfunderetur, imò Angelorum consortio sibi frui videretur.

Spec. char. cap. 7.

§. V.

§. V.

Quædam dulcedo à Deo datur: & quo fine?

Alia est devotionis dulcedo suaviter mentem afficiens, quæ divinitùs datur, ad prœmium, ad consolationem, & ad excitationem. Ad prœmium ut dum emeritis Dei servis nonnunquam post longam ariditatem, post acria carnis, mundi & diaboli debellata certamina, quædam futuræ beatitudinis prægustatio conceditur. Ad consolationem, ut dum militibus suis in hujus sœculi malis laborantibus & agonizantibus, quibus, ut ampliùs eos probaret *in camino humiliationis*, nonnihil sese substraxerat, iterum Deus exhibet amoris sui dulcedinem, ac modo solis expertis noto, dicit animæ eorum: *Salus tua ego sum.* Ad excitationem, ut dum in initiis melioris vitæ magnâ plerumque consolationis dulcedine unusquisque excipitur: ut scilcet divinæ gratiæ suavitate prægustatâ, citiùs pleniùsque omnibus vitiis emoriatur, & Deo (qui est summum bonum) tenaciùs adhæreat. In hoc tamen, qui ejusmodi est, nonnunquam fallitur: *Quòd*, uti ait D. Gregorius, *dum quibusdam donis gratiæ dulce-*

Eccl. 2. v. 5.

Ps. 34. v. 3.

dulcedine inchoationis excipitur, confirmationem accepisse se perfectionis arbitratur, & plenitudinis consummationem æstimat, quæ adhuc blandimenta esse inchoationis ignorat. Vnde fit, ut dum subitâ tentationis procellâ tangitur, despectum se Deo & perditum suspicetur. Qui si inchoationi suæ non passim crederet, adhuc in prosperis positus mentem ad adversa præpararet: & vitiis venientibus postmodum tam firmus resisteret, quàm ea sagaciùs prævidisset. Sed id extrà rem nostram.

§. VI.

Etiam adhuc malis ista dulcedinis gratia subindè à Deo conceditur.

ETiam à se aversos solet nonnunquam divina pietas ejusmodi blanditiis prævenire, & ad se allicere, & animæ adhuc inquinatæ gratiam suæ visitationis impertiri. Quod revera ut notat Aëlredus, magnum divinæ miserationis indicium est, ut non solùm terrore concutiat, sed omnia mentis claustra seris vitiorum obserata suâ penetrabilitate perscindens, fœdis adhuc labiis, quoddam suæ dulcedinis imprimat osculum, ac ineffabili suavitate suâ blandiatur avertenti, cunctantem alliciat, animet desperantem.

Spec. char. cap. 11.

rantem. Sed hîc sese nonnulli decipiunt qui dum ita divinitùs compuncti, conversionis habent incitamentum, habere sibi persuadent ejus complementum, & momentaneè sic affecti quamvis in iniquitatibus perseverent, tamen se Dei jam familiares amicos arbitrantur. Qui error multum est veræ conversioni contrarius, & perceptæ compunctionis abusio est, quæ adhuc datur, ut eam debita conversio subsequatur. Hinc meritò ille apud Aëlredum exclamat:

O! quàm miserabiliter falluntur, quàm sunt suæ salutis proditores, qui vitiis innumerabilibus ac damnabilibus implicati, si quid hujus, de quo loqueris, experiantur affectus, non solum sibi veniam de præteritis pollicentur, imo ad eadem securius quodammodo revertuntur, nec aliquid hoc spiritali incitamento proficiunt sed sanctiores hinc semetipsos arbitrantes in suis sordibus vel negligentiis impudentius volutantur. Fortè de talibus ait Apostolus: dedit illis Deus Spiritum compunctionis, oculos ut non videant & aures ut non audiant. Nunquid non genus hoc compunctionis excæcat oculos, aures obturat, illorum dumtaxat qui immanissimas vitiorum sordes sine pœnitentiæ fructibus paucis his lachrymis æstimant abluendas? *Ibid. c. 20.*

§. VII.

§. VII.

Tragœdiæ sensibiles affectus excitant, & quid hinc colligatur contra doctrinam quæ hic oppugnatur.

ITaquè *nequaquam secundum momentaneum illum, & ut ita dixerim, horarium* Aëlredus lib. cap. 17. *affectum Dei pensandus* (est) *amor: quod ex contrariis exemplis perspicuum est intueri. Cum enim in tragædiis vanisquè carminibus quisquam injuriatus fingitur vel oppressus, cujus amabilis pulchritudo, fortitudo mirabilis, gratiosus prædicetur affectus, si quis hæc vel cum canuntur audiens, vel cernens si recitentur, usque ad expressionem lachrymarum quodam moveatur affectu, nonnè perabsurdum est ex hac vanissima pietate de amoris ejus qualitate capere conjecturam? ut hinc fabulosum illum nescio quem affirmetur amare, pro cujus ereptione, etiamsi hæc omnia verè præ oculis gererentur, ne modicam quidem substantiæ suæ portionem pateretur expendi? similis profecto ineptiæ est, imo multò majoris insaniæ, si quisquam luxuriosus aut tepidus, occultâ Dei dispensatione, ob quosdam internos compungatur affectus, ad vana & lubrica & sordes pristinas denuo reversurus, secundùm steriles has lachrymas ac momentaneos affectus de ejus dilectione ferre sententiam.*

Quingentis & ſexaginta annis præceſſerat Aëlredum egregius Ruſpenſis Antiſtes S. Fulgentius, ſed non minor eſt ejus in quoſdam his non longè abſimiles cenſura: *Nonnulli*, inquit, *ſcelerum ſuorum conſideratione perterriti: pro iniquitatibus quidem ſuis in oratione gemunt, nec tamen ab iniqua operatione diſcedunt. Fatentur ſe malè feciſſe, nec ullum finem volunt malis ſuis factis imponere. Accuſant humiliter in conſpectu Dei peccata quibus tenentur oppreſſi, & eadem peccata quæ humilitate ſermonis accuſant, corde perverſo contumaciter cumulant. Indulgentiam quam lachrymoſis gemitibus poſcunt, ipſi ſibi pravis operibus adimunt. Medelam poſtulant à medico, & in perniciem ſuam ſubrogant adjutorium morbo. Ac ſic inaniter verbis quærunt placare juſtum judicem, quem factis iniquis magis irritant ad furorem. Tales enim nunquam diluunt gemendo peccatum, quia non deſinunt peccare poſt gemitum.* *L. 1. de remiſ. pecc. c. 12.*

Ejuſmodi proindè lachrymoſæ oratiunculæ non ſtatim fidere, non hoc eſt, ut vult Appendix, nimium diffidere, & omnes peccatores in deſperationem præcipitare, ſed ne cum animæ ſuæ periculo malè confidant præcavere; & quomodo ad veram & ſolidam ſpem, quæ eos *non confundat*, pervenire poſſint & debeant, demonſtrare. *Rom. 5. v. 5.*

§. VIII.

§. VIII.

Immerito proindè Appendix exclamat contra Manuductionem, docentem: quod recitatio vivax prædictarum formularum non sufficiat, ut peccator censeatur conversus.

NOn rectè proindè exclamat Appendix tanquam doctrinæ monstrum sit, asserere oranti brevem ejusmodi precatiunculam non ilico semper conversionis donum concedi: hujusmodi doctrinæ monstrum protulit Augustinus, cum illa verba Ps. 6. *& tu Domine usquequo*, animæ esse dicit luctantis cum morbis suis, id est, vitiis, Deumque deprecantis, sed non statim exauditæ. Hujusmodi doctrinæ monstrum edidit & Gregorius, dum dixit: *Quibus peccata dominantur per se ab eorum jugo liberari nequeunt. Nam sæpe ad Dominum cum precibus veniunt, liberari petunt, sed exaudiri non possunt:* Statim scilicet, uti id supra est expositum. Ab horum venerabilium Ecclesiæ magistrorum vestigiis ob ejusmodi dicteria non me patiar avelli.

L. 4. c. 2. in l. 1. reg.

§. IX.

§. IX.

Ineptè Appendix hîc objicit illud: facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam.

SEd, inquit, ubi esset illud, facienti quod in se est, Deus nunquam deest. Egregia enimverò probatio & digna ob quam ista non tam nostræ quàm Patrum Doctrinæ nota inuratur. Quasi amplius peccator facere nequeat, quàm paucarum linearum orationem proferre. Aut plus eum facere non oporteat qui temerario ausu vitam gratiæ in se peremit, Dei templum, quod ipse est, violavit, *Filium Dei conculcavit, & sanguinem testamenti pollutum duxit, in quo sanctificatus est; & spiritui gratiæ contumeliam fecit*; propter quod totius æternitatis dignus est supplicio. Deindè qui jam converti velle incipit, non statim, ut ostensum est, tam perfectè id vult, ut inveteratos omnes peccati affectus à se excludat: ac per hoc, licet imperfectâ illâ voluntate Deum oret, quomodo tamen facit quod in se est, qui nondum pravos suos affectus deponit? Propter hoc orare quidem debet & non deficere, spei tamen firmitas in Dei præcipuè misericordia statuenda est, qui

Heb. c. 10. vers. 29.

Ephes. cap. 3. vers. 20. qui nos exaudit etiam *superabundanter quàm petimus*, aut digni ſumus.

Comm. in Ep. Rom. c. 10. lect. 3. Facere autem quod in ſe eſt, ut notat S. Thomas, *ex Deo eſt movente corda hominum ad bonum*. Atque ab illo fit qui facit quod in ſua eſt poteſtate ſecundum quod eſt motus à Deo. Facit, inquam, operando quod poteſt, & petendo quod non poteſt; huic rectè dicitur Deus non defuturus, ſed dum petit quomodo & quantum petendum eſt: ut enim nunc alia omittam, petendum eſt ſecundum Chriſti monitum inſtanter, & donec exauditi fuerimus perſeveranter.

CAPUT VII.

Utrum quando dicitur converſionem peccatoris eſſe tam difficilem, hoc ſit dumtaxat intelligendum de converſione voluntatis ejus, quando eſt obſtinatus?

NUm. 239. concedit Appendix converſionem peccatoris qui obſtinatus eſt, eſſe difficilem, ſecus non obſtinati.

§. I.

§. I.

Quid obſtinatio, & cur obſtinati difficulter convertantur?

OBſtinatio inflexibilitas eſt voluntatis, quæ alicui commutabili bono affectu agglutinata, ab eo propter Dei juſſionem renuit recedere. Oritur hæc ex amoris magnitudine; qui dum plenè & integrè alicui creaturæ inhæſit, ægrè ſeſe ſinit indè avelli; & quò ampliùs creſcit, eò fortiùs eidem dilectæ animam tenet affixam. Hinc generale SS. Patrum monitum eſt, ut tentationum initiis fortiter nos opponamus: cum enim à pravo affectu adhuc liber eſt animus, illicienti cupiditati haud difficulter reſiſtit: poſtquam verò illi victas manus dedit, ejuſque affectionem recepit, ut cum Chryſoſtomo loquar, *difficillimum eſt reſipiſcere.* Cum enim ejus deſideriis ſaturandis obſequi cœperit, atque indè delectatio fuerit ſubſecuta, prava illa roboratur affectio, atque animo, ut ita dicam, inviſceratur; ac per hoc jam alligat eum ut indè abrumpere amorem, & ad utilia conferre non audeat. Quia cum conatus fuerit, dolorem ingerit inveterata affe-

Hom. 87. in Matth.

ctio, cui dolori ſuccumbens à pernitioſis
Lib. 6. c. 2. delectationibus nolet abſcedere. Hinc il-
in lib. 1. Reg. lud Gregorii: *Ante caſum à liberis facilè peccata vitantur, ſed ſi nolunt vitare cum poſſunt, poſtea non poſſunt ſi volunt, quia perfectè velle non*
Serm. 24. *poſſunt.* Et poſt ipſum Aëlredus: *Porrò qui*
cap. 14. Iſ. *ipſis paßionibus manus dederit, & ſe ſervituti tradiderit vitiorum, omni virtute ſpoliatus imberbis, & quaſi in fœminam reſolutus agnoſcitur. Videat charitas veſtra, Fratres, multò faciliùs eſt ante lapſum vitia declinare, quàm datam eis ſemel manum eorum poteſtati ſubducere. Quod ſi vinculis conſuetudinis quis fuerit irretitus, in omnibus debilis, & inermis, & quaſi fœmineus*
Sive ut alii *invenitur. Et hoc*, ait S. Proſper, *fit juſto*
Julianus Pomerius l. 2. de vita contemp. c. 15. *Dei judicio, ut qui cupiditati reſiſtere noluimus ingreſſuræ, jam reſiſtere nequeamus ingreſſæ.* Ex quo ſalubriter infert S. Gregorius: *Malè ergò*, inquit, *mederi concupiſcentiæ mor-*
Lib. 5. c. 4. *bo ſatagit, qui adhuc explere concupiſcentias pec-*
in l. 1. Reg. *cando cogitat, ut quieſcat: tantò quidem erit poſt peccatum concupiſcentia major, quantò ipſa ſibi eſſe incipit peccati delectatio gratior.*

Hæc itaque prava affectio ſeu malus amor ita auctus & roboratus ut contrarios ſibi reniſus plenè evicerit, pertinaciter facit animam Dei juſſis reſiſtere: pro-
Prov. 18 pter quod ſcriptum eſt: *Impius cum in pro-*
verſ. 3. *fundum venerit peccatorum, contemnit.* Hunc

ſal-

ſaltem concedit Appendix difficulter converti; nec immeritò: eſt enim obſtinatio unum è peccatis in Spiritum Sanctum, cujuſmodi propter ſummam arduitatem dicuntur irremiſſibilia. Propter quod dum talibus obſtricti convertuntur, dicit eos S. Thomas, omnipotentiâ & miſericordiâ Dei quaſi miraculosè ſpiritualiter ſanari. His proinde præcipuè convenit, quod generaliter dixit Bernardus: *Difficilis prorſus res eſt, & ſoli divinæ virtuti poßibilis, ſuſceptum ſemel peccati jugum a cervicibus excutere; quoniam qui facit peccatum ſervus eſt peccati; nec eſt jam liberari niſi in manu forti.* Et ante ipſum Gregorius: *Flagitioſorum converſio facilis non eſt.*

2. 2. *quæſt.* 14. *a.* 3.

Serm. de trip. Miſſ.

Lib. 5. *c.* 4. *in l.* 1. *reg.*

§. II.

Non ſoli obſtinati difficulter convertuntur.

VErùm non rectè id ad ſolos obſtinatos reſtringit Appendix, ſecùs aſſerens de non obſtinatis. Non enim omninò obſtinatus erat Auguſtinus, dum jam bonam voluntatem habebat, ut Deum gratis coleret, atque auditâ Victorini converſione *exardebat ad imitandum*: ſed tamen adhuc prægravari ſe ſentiens, *Illi rei ergo ſuſpirabam*, inquit, *ligatus non ferro alieno, ſed meâ*

L. 8. *Conf. cap.* 5.

ferreâ voluntate. Velle meum tenebat inimicus & indè mihi catenam fecerat, & constrinxerat me: quippè ex voluntate perversa facta est libido; & dum servitur libidini, facta est consuetudo; & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. Quibus quasi ansulis quibusdam sibimet innexis, unde catenam appellavi, tenebat me obstrictum dura servitus; voluntas autem nova, quæ mihi esse cœperat, ut te gratis colerem, fruiquè te vellem, Deus sola certa jucunditas, nondum erat idoneà ad superandam priorem vetustate roboratam, &c.

Hanc difficultatem, quam etiam non obstinati, sed utcumquè jam converti volentes patiuntur, proprio experimento edoctus, pulchrè exponit commentatus in Psal. 106. quempiam proferens jam perductum in viam fidei: *Cum ergo*, inquit, *ibi fuerit, jam sciens quid observare debeat, nonnunquam sibi multum tribuendo, & quasi de suis viribus præsumendo, incipit confligere velle bello contra vitia, & propter superbiam superari. Invenit ergò se ligatum difficultatibus cupiditatum, & non posse viam propter compedes ambulare. Inclusum se sentit difficultate vitiorum & tanquam muro impoßibilitatis erecto, portisquè clausis, quâ evadat, ut rectè vivat, non invenit. Jam scit quomodo vivere debeat; prius enim in errore erat & famem veritatis patiebatur.*

In Ps. 106.

tiebatur: accepit autem jam cibum veritatis, & positus in via, audit: vive bènè ſecundum quod noſti; anteà enim non noveras quemadmodum viveres, modò accepiſti & noſti. Conatur & non poteſt: ligatum ſe ſentit, exclamat ad Dominum, liberat Dominus de neceſſitatibus, rumpit vincula difficultatis, conſtituit in operationem æquitatis, &c. Hanc magiſtri ſui doctrinam ſecutus eſt, & in ſuum ad eundem Pſalmum commentarium tranſtulit S. Proſper.

Eandem & in volentibus difficultatem agnovit magnus Gregorius: *Qui pedes*, inquit, *in rete mittit, non cùm voluerit ejicit, ſic qui in peccatis ſe dejicit, non mox ut voluerit ſurgit.* Et iterùm: *Sæpè nonnulli à pravis actibus exire cupiunt, ſed quia eorundem actuum pondere premuntur in malæ conſuetudinis carcere incluſi à ſemetipſis exire non poſſunt.* Denique ut alia, ne fuſior ſim, prætercam; volentes intuebatur idem egregius Doctor cùm dixit: *Quibus ergò peccata dominantur per ſe ab eorum jugo liberari nequeunt, nam ſæpè ad Deum cum precibus veniunt, liberari petunt, ſed exaudiri non poſſunt: divino ſiquidem judicio cum eis agitur, ut qui noluerunt mala vitare cùm poſſent, non poſſint vitare cùm volunt. Et qui ſponte incurrunt mala præcognita, fugere non poſſint experta.* Et ante

L. 14. mo. c. 4.

L. 11. mo. c. 5.

L. 4. c. 2. in l. 1. Reg.

Hom. 5. in Ierem. Gregorium S. Cyrillus Alexandrinus: *Resipiscentes, & initium conversionis habentes, aiunt, peccavimus & non obedivimus. Neque enim simul ac volumus obedire, continuò obedimus. Etenim tempore opus est, sicut in vulneribus ad curationem, sic in conversione ad plenè & purè convertendum se ad Deum.*

L. de simil. c. 189. Hos secutus S. Anselmus (sivè ut alii volunt quispiam Discipulorum ejus) *Jocatur diabolus,* inquit, *cum hominibus multis, quos irretitos suis laqueis pro sua voluntate in diversa vitiorum impedimenta pertrahit. Sunt enim quidam (ut v. g. dicam) avaritiæ seu luxuriæ & similium flammis succensi, ex mala consuetudine illis addicti. His contingit aliquando, ut sua facta considerantes, fleant, sequè amodò è talibus cessaturos ore promittant, & more avis irretitæ liberos se volare autument. Sed quia pravo usu irretiti ab hoste tenentur, nolentes in eadem vitia dejiciuntur, fitquè hoc sæpiùs, nec omnimodè liberantur, nisi magno conatu & gratiâ funis rumpatur pravæ consuetudinis.* Anselmo non nihil posterior Aëlredus: *Scit qui expertus est,* inquit, *quomodo vitiis subditus miserabiliter ab ipsis concutitur, & quasi obsessus undique lapidatur. Omnis enim qui facit peccatum, servus est peccati. O dura servitus! quæ etiam animum renitentem plerumque cogit ad vitia, cùm violentiâ malæ consuetudinis ad illud*

Ser. 15. in Isaiam.

im-

impellitur vitium, quod jam deteſtatur: ut mirum in modum & peccatum ità velit ut faciat, ità nolit ut ploret.

Omittere hîc nolim Venetenſem Patriarcham B. Laurentium Juſtinianum; nam & ipſe volentem & conantem attendebat dicens: *Vſitata namque culpa obligat mentem ut nequaquam ſurgere poßit ad rectitudinem. Conatur & labitur; quia ubi ſponte diù perſtitit, ibi etiam cùm noluerit cadit. Lex enim peccati eſt violentia conſuetudinis, quâ trahitur injuſtus animus, eo merito quo in eam volens lapſus eſt, ad quam quodam progreſſu pervenit anima. Primò fit titillatio delectationis in corde, deindè conſenſio, tertiò operis perpetratio, poſtremò conſuetudo, in quam deveniens anima ſuorum extra ſe trahitur vinculis peccatorum.* Priora verba ex D. Gregorio ſumpta ſunt; quæ etiam profert & approbat S. Bonaventura lib. 3. Pharetræ cap. 12. *Lig. vitæ tom. 9. de penſis. c. 3.*

Pulchrè id totum elucidat & confirmat S. Bernardus: *Tripliciter*, inquit, *mihi videntur homines eſſe ſub Principe tenebrarum. Primùm quidem nec volentes nec nolentes: quod convenit his qui necdum habent voluntatis uſum: ſunt tamen vaſa iræ propter originale peccatum, donec alligato forti vaſa ejus diripiat fortior per Sacramentum adveniens. Secundo modo volentes, cùm jam voluntariè peccant. Tertio quoquè mo-* *Serm. 8. de div. c. 5.*

do nolentes, cùm jam resipiscere vellent, nisi quòd peccati consuetudine miserabiliter obligati, justo Dei judicio, qui in sordibus sunt sordescunt adhuc. In quo tertio statu laborasse videtur Prodigus ille filius, & verè prodigus nimis, qui non modò dißipârat sua, sed & semetipsum subjecerat miseræ servituti, infælix venumdatus sub peccato: cùm ad se reversus ait: QUANTI MERCENARII IN DOMO PATRIS MEI ABUNDANT PANIBUS: EGO AUTEM HIC FAME PEREO! *Si quis expertus est in semetipso, facilè, credo, in his verbis animum miserabilem recognoscet. Quis enim peccati consuetudine obligatus non se fælicem reputaret, si datum ei esset esse tanquàm unum ex his, quos in sæculo tepidos videt viventes sine crimine, minimè tamen quærentes quæ sursum sunt, sed quæ super terram?* QUANTI, inquit, MERCENARII IN DOMO PATRIS MEI ABUNDANT PANIBUS! *id est, consolantur in innocentia sua, & fruuntur propriæ conscientiæ bono; ego autem hîc fame pereo: insatiabilibus crucior peccatorum desideriis & affectibus vitiorum!* Porrò qui pleno affectu vitiis addicti sunt, ut indè destinato proposito nolint abscedere, nondum arduam sibi sentiunt sui in meliora mutationem, nondum eis difficile apparet motus suos, quibus spontè & ex toto corde obsequun-

quuntur, cohibere & indè amorem avertere. Cùm verò id attentare cœperint, tum quoque qualiter peccatorum suorum funibus peccator constringitur, proprio experimento incipiunt agnoscere. Peccati jugum, quod ad suscipiendum leve est, quàm sit ad excutiendum grave, probant cùm id jam volunt deponere: cujusmodi gluten sit inveteratus amor, quàm fortiter suo objecto animam affigat, vident cùm indè sese conantur expedire, & sese non debitè expediunt, nisi ille subveniat qui istam expeditionem promittebat, cùm dixit: *Omnis qui* Ioan. 8. v. 34. 36.
facit peccatum, servus est peccati. Si ergò vos Filius liberaverit, verè liberi eritis. Difficilis proindè obstinatorum est conversio; sed difficultatem tum maximè percipiunt, cùm obstinati esse desinunt, & sese incipiunt jam velle convertere.

Ex his jam patet quàm non immeritò dixerit Rev. Pater Paulus Zehentner Societatis JESU Theologus: *Multorum non* L. 3. prom. malæ spei §. 1.
levis error est, cùm putant, quàm obvia est peccatori pœnitentia, tam eidem esse facilem & expeditam. Et infrà: *Gemmula ista cœlestis gratiæ, cujus jacturam facit impius venator libidinis suæ, tametsi recuperabilis sit, non tamen obvenit nisi multùm sudanti & æstuanti, & ge-*

mentì

menti &, dolenti, & deprecanti, & detestanti facinora sua : atque ut pronum est humanæ infirmitati magni Dei favoribus excidere, sic restitui est operosum.

CAPUT VIII.

Utrum æquè facilè quis sit dispositus, ut absolvatur, sive tantum habeat peccata venialia, sive etiam multa mortalia, præsertim consuetudine inveterata?

INutilis forsan cuipiam hujus quæstionis judicabitur propositio : hebes quippe est aut rudis, cui non ejus sit manifesta veritas. Tamen Appendici, ut in aliis plerisque quæstionibus, ita & hìc mos gerendus fuit. Cum enim peccatori, non ut ei luberet, sed instanter perseveranterque petenti, quærenti & pulsanti pœnitentiæ gratiam Manuductio dixisset esse promissam, atque id pauperis viduæ, atque importuni amici parabolis confirmasset : *Contra*, ait Appendix num. 255. *verum est quod Christus ibidem hortetur ad instantiam orationis : sed nihil ad rem : aliàs sequeretur, idem faciendum illis, qui cum solis peccatis venialibus vadunt ad confessionem : nam gratia contritionis æquè ipsis est super-*

supernaturalis, & à Deo obtinenda ac maximo peccatori.

Verùm illegitimus est à venialibus ad mortalia processus; aut si quis legitimus sit, assertam à Manuductione doctrinam non evertit, sed confirmat. Illegitimus est, quia mortalium pœnitentia lapso peccatori & ad agendum est operosior, & ad impetrandum difficilior. Etenim graviora delicta, ut majores offensæ sunt, ita quoque amplius deflenda sunt, & majori animi detestatione abjicienda, quæ dicit August. *Nisi per vehementissimam molestiam humiliationis cordis, & contritionis spiritus, & tribulationis pœnitentiæ non relaxari.* *Qui verò*, ait Hieronymus, *levi peccatorum sorde maculatus est, levioribus purgatur monitis.* Deindè dum à mortalibus surgitur, necesse est omnium & singulorum voluntatem deponere, adeò ut verè pœnitens non sit, qui vel uni è gravioribus delictis manet addictus. *Non potest esse verè pœnitens,* ait S. Thomas, *qui de uno peccato pœnitet, & non de alio. Si enim displiceret ei illud peccatum quia est contra Deum super omnia dilectum (quòd requiritur ad rationem veræ pœnitentiæ) sequeretur quod de omnibus peccatis pœniteret.*

Serm. 34. de div. cap. 12.

In cap. 2. Hier.

3. p. q. 86. a. 3.

§. I.

§. I.

De venialibus facilior est pœnitentia.

HUjusmodi autem à venialium pœnitentia abest necessitas. Fieri enim potest ut quis verè, id est, sufficienter ad ejus remissionem pænitet de uno veniali, & non de alio: de majori & non de minori: & fieri quandoquè potest è converso, dum v. g. uni, non alteri afficitur, metu aut alicujus commodi desiderio; non hoc sed alia à quibus hæc absunt, paratus est deserere. Displicet subindè & ipse numerus, ut quamvis singulorum displicentiam à se non obtineat, simpliciter tamen improbet, se toties in hoc genere excessisse. Adde nunc majorem enormitatem, turpitudinem, aliasquè circumstantias, ob quas sæpenumerò unum, & non aliud ab affectu excluditur. Insuper omnia & singula graviora delicta cavere sit nobis Dei gratiâ possibile: *Sicut enim*, ait quidam Veterum, *sine minutis peccatis nullus umquàm aut fuit aut esse poterit: ita sine capitalibus criminibus, donante & auxiliante Deo, omnimodis esse possumus & debemus.* Propter quod ad mortalium pænitentiam, satis non est, eorum volun-

Ser. 56. de temp. Aug.

luntatem deponere, nisi etiam quis statuat ab iis omnibus continere; ac per hoc & ea media, quibus ad hoc efficiendum illi opus esse prudenter judicatur, velit assumere. Tametsi enim morbum oderit æger, eumquè abesse optet ac sanitatem adipisci; non tamen absolutâ id vult voluntate, si remedia ad excludendum morbum, ac sanitatem comparandam necessaria detrectet subire. Sic sunt nonnulli, quibus displicet sua infirmitas, quâ se vident ad consueta sine cessatione relabi, displicent illis relapsus, à quibus se vellent continere; sed tamen id adhuc simpliciter non volunt, ac per hoc non debitè pœnitent, si ad superandam infirmitatem, & præcavendum recidivum necessariò vitanda aut adhibenda vitare renuant aut adhibere. Ex quo elucet quàm meritò à S. Carolo Confessariis dictum sit: *Jam verò non solùm absolvere eos non possunt, qui peccato mortali valedicere constanter non decernunt, sed nec illos etiam, qui quamvis asserant peccatum se velle deserere, tamen unà dicunt, videri sibi non se commercium illius esse relicturos, nì ea velint remedia apponere, sine quibus Confessarius judicat ad vomitum redituros.*

Instruct. Past. p. 2. c. c. 15.

§. II.

§. II.

Non omnia venialia in hâc vita cavere possumus.

Alia est venialium ratio. Hæc omnia cavere optare possumus, sed in ista mortali vita perficere non possumus: propter quod & Sanctissimorum

Ioan. 1. ep. c. 1. v. 8. vox est: *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis*

In Ps. 118. conc. 3. *non est*. Etenim: *Quoniam tentatio est vita humana super terram, etiamsi à criminibus longè simus*, ait D. August. *non tamen deest, ubi desideriis peccati vel facto, vel dicto, vel cogitatu obediamus, quando adversus majora vigilantibus quædam incautis minuta surrepant.*

§. III.

Venialium citiùs quàm mortalium remissio obtinetur.

Ejusmodi quidem minores defectus etiam in particulari longè difficilius plerumqne quàm majora & graviora delicta vitamus, ac per hoc facilius quoquè est, hæc quàm illa absolutè cavenda pro-

Brevil. p. 3. c. 8. ponere. Et tamen ut S. Bonaventura, & vera asserit doctrina, citiùs est venialium quàm mortalium veniam obtineri: ex quo

quo discimus, non æquè perfecto utrobique opus esse abstinendi proposito. Discrimen hoc inter mortalia & venialia Justorum delicta notavit S. August. Dum dixit: *Ne putetis, Fratres, quia facienda sunt quotidiè adulteria, & eleëmosynis quotidianis mundanda sunt: ad illa majora scelera non sufficiunt quotidianæ eleëmosynæ, ut ea mundent. Aliud est ubi mutes vitam, aliud est ubi toleres vitam. Illa mutanda est: si mæchus eras, noli esse mæchus: si fornicator eras, noli fornicari; si homicida, noli homicida esse: si ibas ad mathematicum, & ad cæteras pestes sacrilegas, jam desine. Arbitraris hæc, nisi fieri desinant, quotidianis eleëmosynis posse mundari? Illa dico quotidiana peccata, quæ aut linguâ facilè committuntur, ut est verbum durum, aut cum labitur aliquis in risum immoderatum, aut in hujusmodi nugas quotidianas. In ipsis concessis peccata sunt: cum ipsa uxore si exceditur concumbendi modus procreandis liberis debitus, jam peccatum est: in ipsis alimentis, quæ utique concessa sunt, si fortè excedis modum, & ampliùs accipis, quàm necesse est, peccas. Quotidiana sunt ista quæ dico, sed tamen peccata sunt, & non sunt levia, quia plura talia peccata dicimus, Fratres, quotidianis eleëmosynis posse mundari:* Non tamen sine debita ab eis conversione. Nam exclusivè accipiendum est, quod

De 10. chordis cap. 11.

Serm. 34. *de divers. c.* 12. quod idem S. Doctor alibi de his minoribus potissimùm differens ait: *Omnia ergò præterita conversis* (nonnisi conversis) *dimittuntur.*

Serm. de trip. Mis. Augustinum secutus est Bernardus. *In his*, ait, *à quibus abstinere non possumus, dum gestamus corpus peccati, ad salutem sufficere potest pænitentia quotidiana. At in gravioribus quidem, & quæ peccata ad mortem sunt, opus est non solùm pænitentiâ, verùm etiam continentiâ. Itaque*, consolando ait alibi, *Iudâ & Jerusalem, nolite timere, si perfectionem, quam desideratis, nondum potestis adipisci; sed quod minus habet imperfectio conversationis suppleat humilitas confessionis, & imperfectum vestrum videbunt oculi Dei. Propterea enim mandata sua mandavit custodiri nimis, ut videntes imperfectionem nostram deficere, & non posse implere quod debet, fugiamus ad misericordiam & dicamus:* Quoniam melior est misericordia tua super vitas; *& qui non possumus in vestitu innocentiæ, seu justitiæ, appareamus vestiti confessione.*

Hæc ad solamen eorum qui circa venialium confessionem nimiâ sollicitudine anguntur: & ex adverso qui sic nimiâ incuriâ laborant, cogitent hæc duo monita *Introductionis ad vitam devotam lib. 2. c. 19.* Salesii: habe semper veram displicentiam de peccatis, quæ confiteberis quantumvis parva sint, cum firma resolutione de-

inceps

inceps emendandi te: abusus est confiteri aliquod peccatum cujuscumque generis illud sit sive mortale, sive veniale absque eo quod velit se ab eo purgare. Hæc ille.

§. IV.

Pro quorundam venialium pœnitentia impetranda, laborum & precum instantiâ opus est.

ITaque à venialium ad mortalium pænitentiam non debita fit ratiocinatio, neque ex illius facilitate huic difficultati præscribitur. Addo nunc & ipsam venialium pænitentiam labore & precum instantiâ haud rarò debere obtineri. Etenim si quis (ut sunt plerique) venialibus quibusdam affectibus sit implicitus, potest quidem his affectibus nondum exclusis sufficientem de aliis pænitentiam agere, attamen ut & ipsis affectibus renuntiet, ut oportet, ac debitè ab iis resurgat, multo ei opus est studio, multâ prece, multúmque repetitâ. Noverunt hoc qui attentant, frequenter velle adjacet eis, sed tamen non inveniunt & facere, nisi petendo, quærendo, pulsando, à quo habent desiderium, impetrent & effectum. A quo si ad mortalia argumentari licet, adversùs Appendicem est concludendum.

Si enim hoc modo à ſuis vitiis minoribus juſto ſit reſurgendum, quid mirum, ſi & impio peccatori, ut à conſuetis ſuis mortiferis delectationibus amorem removeat atque de iis ſimul omnibus, ut oportet, pæniteat, pii laboris atque orationis incumbat neceſſitas?

CAPUT IX.

Vtrum æquè facilè ad pænitentiam convertatur is qui ſæpè relabitur, atque inveteratam mortaliter peccandi habet conſuetudinem, ac ille, qui ſemel dumtaxat eſt lapſus?

DIxerat cap. 12. Manuductio, ſæpiùs recidivos non ſic facilè ac illum qui ſemel dumtaxat lapſus eſt, abſolvendos, quòd illorum præ iſto difficilior ſit converſio. Ad hoc Appendix: *Concedo*, inquit *num.* 271. *loquendo de totali converſione, nego de inchoata.* Inchoatam intelligit, quæ ad Sacramenti ſuſceptionem juſtitiamque ſufficiat, quam proinde eâdem facilitate vult ab utriſque comparari.

Verùm non hoc ſentit, cujus hîc videri vult inniti auctoritate, S. Gregorius. *L. 4. mo. c. 27.* Etenim *lib.* 4. *moral.* 27. quatuor ponit mo-

modos, quibus interior consensio peccato data consummetur in opere. Primus est ipsa consensio adhuc hærens in corde; quam sequitur pravi operis completio; dehinc in consuetudinem ducitur; ad extremum verò vel falsæ spei seductionibus, vel obstinatione miseræ desperationis enutritur. *Cum enim culpa*, inquit, *in usum venerit, ei jam animus etiamsi appetat, debilius resistit: quia quot vicibus pravæ frequentationis astringitur, quasi tot vinculis ad mentem ligatur. Vndè fit ut enervis animus, cum solvi non valet, ad quædam se solatia falsæ consolationis inclinet: quatenus venturum judicem tantæ sibi misericordiæ spondeat ut eos etiam, quos arguendos invenerit, penitùs non occidat. Cui rei hoc deterius accidit, quod ei multorum similium lingua consentit. Sciendum quoque est, quod tres illi modi peccantium juxta descensus sui ordinem facilius corriguntur, quartus vero iste difficiliùs emendatur. Vndè & Redemptor noster puellam in domo, juvenem extra portam, in sepulchro autem Lazarum suscitavit. Adhuc quippe quasi mortuus jacet in domo qui latet in peccato. Jam quasi extra portam educitur, cujus iniquitas usque ad inverecundiam publicæ perpetrationis aperitur. Sepulturæ vero aggere premitur, qui in perpetratione nequitiæ etiam usu consuetudinis pressus gravatur. Sed hos ad vitam miseratus re-*

Ibid. cap. 25.

vocat: quia plerumquè divina gratia, non solum in occultis sed etiam in apertis iniquitatibus mortuos & mole pravæ consuetudinis pressos, respectûs sui lumine illustrat. Quartum verò mortuum Redemptor noster nuntiante discipulo agnoscit, nec tamen suscitat, quia valde difficile est, ut is, quem post usum malæ consuetudinis etiam ad ultimum adulantium linguæ excipiunt, à mentis suæ morte revocetur.

Tres, inquit, *illi modi peccantium juxta descensus sui ordinem facilius corriguntur.* Secundus primo difficiliùs, sed minus arduè quàm tertius. Cum enim pravo consensui adjungitur pravi operis completio, hanc sequitur ejusdem operis prava delectatio, quâ prior mala cupiditas amplius nutritur & roboratur, ut jam arctiùs & tenaciùs eidem objecto animam alliget. Pulchrè id elucidat Augustinus exponens istum Psal. 9. versum: *In muscipula ista* (ubi nos legimus: *in laqueo isto*) *quam absconderunt, comprehensus est pes eorum. Muscipula,* ait, *occulta est dolosa cogitatio. Pes animæ rectè intelligitur amor: amore enim movetur tamquam ad locum quo tendit. Locus autem animæ non in spatio aliquo est, quod forma occupat corporis: sed in delectatione quò se pervenisse per amorem lætatur... Pes ergò peccatorum, id est, amor comprehenditur in muscipula,*

quam

quam occultant: quia cum fraudulentam actionem consecuta fuerit delectatio, cum eos tradiderit Deus in concupiscentiam cordis eorum, jam illa delectatio alligat eos; ut indè abrumpere amorem, & ad utilia conferre non audeant: quia cum conati fuerint, dolebunt animo, tamquam pedem de compede exuere cupientes. Cui dolori succumbentes à perniciosis delectationibus nolunt abscedere.

Hæc tamen non sic dixerim, ac si universaliter completo opere, difficiliùs aut tardiùs resurgatur. Ipsa enim peccati turpitudo magis apparet in opere, & citiùs animam ob ea, quæ egit, facit confundi: quod, ut rectè Cyrillus Alex. *Principium bonorum est.* Hinc illud Hieronymi: *Rubor vultus pudoris indicium est. Et conscientia peccatorum lucet in facie; spésque salutis est, quando delictum sequitur verecundia.* Eapropter Richardo à S. Victore nolim dissentire dicenti: *Quamvis peccatum actionis secundum aliquid sit majus peccatum, tamen cogitationis secundum aliquid est periculosius. Nam peccatum actionis, quamvis fortè majus sit ad reatum, peccatum tamen cogitationis vide ne fortè difficilius sit ad sanandum. Peccatum enim manifestum quò magis erubescimus, eò sæpè maturius corrigimus. Sæpè etiam culpa per actionem manifesta, vel admonitione corrigitur, vel*

Hom. 5. in Ierem.

In cap. 7. Ezech.

De statu inter. hom. tr. 2. cap. 5.

ultione percussa ab invito deseritur. Hinc est quod in Evangelio Lucæ prius juvenis mortuus extra domum elatus resuscitatus legitur, quàm puella mortua quæ adhuc intra domum invenitur. Hoc tamen D. Gregorii doctrinæ contrarium non est, nam & sæpè experta delectatione robotata & aucta cupiditas vincit pudorem.

§. I.

Post peccatum sæpius commissum difficilior est conversio.

Id verò maximè tum fit; si sæpè aut diu pravis saturandis desideriis & malæ percipiendæ delectationi insistitur: ex hoc enim arctiùs muscipulæ peccatorum pes, id est, amor comprehenditur & concluditur, ut jam indè extrahi difficile sit & operosum. Propter quod dicebat Gregorius: *Cum culpa in usum venerit, ei jam animus, etiamsi appetat, debilius resistit: quia quot vicibus pravæ frequentationis astringitur, quasi tot vinculis ad mentem ligatur.* Hinc alibi dicit: *Facilè inimico resistitur, si non ei vel in multis lapsibus, vel in uno diutiùs consentiatur. Sin verò ejus suasionibus anima subesse consueverit, quantò se ei crebriùs subjicit, tantò eum sibi intolerabiliorem facit, ut ei reluctari non valeat.*

Loco citato.

Lib. 13. mor. c. 10.

Hic

Hic jam est tertius peccantium gradus, à quo cæteris difficilius quisque convertitur, non solum conversione totali, quæ scilicet omnes ex malo usu acquisitos habitus excludat, ut admittit Appendix, sed & illa quæ ad justitiam satis sit. De hac enim agit Gregorius, dum ad similitudinem trium mortuorum à Christo resuscitatorum tria peccantium genera ab ipso dicit ad animæ vitam, hoc est justitiam revocari.

Neque unius Gregorii est ista comparatio: diu ante Gregorium eam adhibuit Augustinus, & ex utroque S. Thomas in Catena, quod deinceps Scripturæ Interpretes atque alii Ecclesiastici tractatores communiter sunt secuti, ut id jam hodiè in concionibus sit pervulgatum. Unanimi autem omnium consensu consuetudinariorum persona Lazaro tribuitur, non eâ facilitate, quâ cæteri ad vitam resuscitato; ut intimetur, ipsos præ aliis difficiliùs ad justitiam resurgere. *Tum quippe*, uti ex Augustino adducit S. Thomas, *Fremuit Dominus, lacrymavit, voce magnâ clamavit, quia difficile surgit, quem moles consuetudinis premit. Turbat se ipsum Christus, ut tibi significet, quomodo tu turbari debeas, cum tantâ mole peccati gravaris & premeris.*

Super Ioan. cap. 12.

Ibidem.

meris. Fides hominis sibi displicentis fremere debet in accusatione malorum operum, ut violentia pœnitentiæ cedat consuetudo peccandi.

§. II.

Perperàm adversus hæc allegatur in Appendice auctoritas S. Gregorii.

Nihil autem adversùm hæc valent, quas hîc confirmando proposito suo profert Appendix, Gregorii auctoritates. Dixit quidem hic S. Pontifex, cuique peccatori jam exordium illuminationis est humilitas confessionis; dum scilicèt malum quod egit, non abscondendo & occultando defendit, sed agnoscendo & prodendo confitetur; sed quòd citò ac facilè inveteratus peccator, quemadmodùm ad justitiam oportet, conversus sit, non dixit, quin potiùs, si Gregorio standum sit, ex iis quæ hactenus ex ipso prolata sunt, contrarium evici.

Lib. 22. mor. c. 13.

Insuper non ità hæc dixit, ac si omnem qualitercumque peccatum suum agnoscentem & confitentem debitè putet conversum; hoc Gregorio contrarium est. Dilucidè enim mentem suam aperuit cùm dixit: *Conversio autem peccatoris non est in*

Lib 2. c. 3. in l. 1. reg.

in humilitate confessionis, sed in renovatione interioris hominis, cùm peccatori jam divinâ inspiratione correcto & malum displicet quod amavit, & bonum placet quod odit. Nam sunt nonnulli qui se & de nequitia accusant criminis, & pravitatem non corrigunt voluntatis: qui profectò converti ad Deum non creduntur: quia vera conversio in ore non accipitur, sed in corde, converti enim simul verti est. Conversio itaque peccatoris vera tunc est, cùm ad Creatoris nostri beneplacitum, uterque noster homo reducitur, cùm & caro nostra per iniquitatis odium cohibetur à perpetratione facinoris, & per amorem justitiæ mens se extendit ad intentionem bonæ operationis.

Sic Antiochus peccatum suum, non debitè conversus, confitebatur, quando *orabat hic scelestus Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus.* Peccatum suum confessus est & Saül, dum dixit: *Peccavi quia prævaricatus sum sermonem Domini. Nec tamen* (ait S. Fulgentius) *est indulgentiam consecutus, quia cor ejus non erat rectum coram Deo. Illa enim peccati confessio ex timore fuit supplicii, non ex horrore peccati. Non odivit quod fecerat, sed timuit quod nolebat, nec culpam conversatione culpavit, sed ad præsens divini furoris percussus, terrore contremuit.*

Lib. 2. Machab. cap. 9. vers. 13.

Lib. 1. reg. c. 15. v. 24.

Lib. 2. de remiss. pecc. cap. 15.

Aliud profert Appendix Gregorii

dictum

dictum ex hom. 26. in Evang. Hic Lazari resuscitatio & solutio accommodatur conversioni & absolutioni peccatoris. Lazarus enim CHRISTI potestate vivificatus, & jam foras è sepulchro egrediens, Discipulis traditus fuit institis suis solvendus: Hoc, dicit, modo peccatorem interiori conversione à CHRISTO resuscitatum, & jam foras per Confessionem prodeuntem, peccatorum suorum vinculis ab Ecclesiæ Ministris esse solvendum. Id verò assertæ hactenùs Doctrinæ nec apparenter contrarium est: sin autem sufficere putet Appendix omnem qualemcumque Confessionem, jam habet responsum.

CAPUT X.

Quid circa traditam hactenùs de Conversione peccatoris Doctrinam senserit S. Joannes Chrysosthomus.

HActenùs SS. DD. potissimùm Augustini & Gregorii, præclarissimorum Ecclesiæ luminum auctoritate subnixus, modum comparandæ peccatori conversionis exposui. Chrysosthomus tamen huc usque

que tantùm non est omissus: ad ipsum fortassis provocabit Appendix, quem num. 245. dicit tutiùs audiendum, & infrà aliquoties facit loquentem. Ego aureum os ejus veneror, non solùm ob dicendi copiam, sed maximè ob doctrinæ ubertatem. Quanquàm tamen adversus tales ac tantos ejus Collegas, quos hactenùs protuli, si fortè aliter saperet, non facilè dixerim, tutiùs audiri: sed absit, id de tanto viro suspicer, & in hâc parte ipsum à cæteris Ecclesiæ Proceribus arbitrer dissentire. Adhuc nobis scriptis suis loquitur, ipsum adeamus & audiamus.

§. I.

Juxta S. Chrysosthomum peccati jugum difficulter excutitur.

DIxi ex S. Bernardo, difficilem rem esse susceptum semel peccati jugum cervicibus excutere; dicit & Chrysosthomus: *Cùm enim semel quasi vinolentiâ vel insano furore oppressa sit ratio, difficillimum est resipiscere, nisi generosissima sit anima, quæ opprimitur: periculosum certè, periculosum*, inquam, *est, perniciosissimis his passionibus locum concedere, quare oportet omni pacto rejicere ingressum* *Hom. 17. in Matth.*

gressum ipsarum, atque repellere: nam si comprehenderint animam atque superaverint, tunc sicut ignis ingentem ac siccam nactus materiam, maximam solent flammam accendere. Quare rogo atque oro, omnia faciamus, ut quasi maceriâ excludamus à nobis harum ingressum.

§. II.

Juxta S. Chrysosthomum, diaboli jugo sapiùs consentiendo, fit ipse quasi intolerabilis.

DIxi ex Gregorio pravæ diaboli suggestioni sæpiùs consentiendo, illum nobis ad resistendum fieri quasi intolerabilem, dicit & Chrysosthomus: *Grave enim, grave est, dilecti, capi laqueis diaboli: anima enim posteà quasi in retibus comprehensa trahitur, & sicut sus in luti volutabro oblectatur; sic & ista à mala consuetudine obruta, ne sentit quidem peccatorum fœtorem: ideò opus est, ut sobrii & vigiles simus, ne ab initio diabolo ingressum concedamus, ut ne dum obtenebrata fuerit nostra ratio, & excæcata mentis perspicacia, faciat quasi privato hujus solis lumine, ne valeas in radios Solis justitiæ contueri, & ità præceps feraris.*

Hom. 22. in Genes.

§. III.

§. III.

Juxta S. Chrysosthomum flagitiosorum conversio tempus requirit.

DIxi ex eodem Gregorio, flagitiosorum conversionem non esse facilem: dixi ex Cyrillo Alexandrino tempore ad eam opus esse, utrumque dicit & Chrysosthomus: cùm enim ejusmodi peccatores ad pœnitentiam, resipiscentiamque fuerat adhortatus, sed eosdem primæ monitioni non obsecutos, pudibundos videbat ut secundò Ecclesiam accederent, hortationem resumens: *Magìs*, ait, *ingredere, quoniam quidem non observasti, quo iterùm audiens observes. Medelam si apposuerit Medicus, neque priori te die purgaverit, num eam rursus die alterâ non apponet? Est quisquam quercini roboris cæsor, is quercum, si velit cadere, securim accipit, incidit radicem: si plaga una percusserit, neque ceciderit infructuosa arbor, nonnè secundam dederit, non quartam, non quintam, non decimam? sic & tu fac. Quercus est fornicatio, glandes ferens irrationabilium animalium escam, multo tempore tua in mente radicata: in arborum circuitu tuam dejecit conscientiam meus sermo; meus sermo securis est, uno audisti die: quomodò uno die cadat, quæ tanto tempore radices immisit?* &c.

Hom. 3. de pœnit.

§. IV.

§. IV.

Juxta S. Chryſoſthomum non ſolis obſtinatis difficilis eſt converſio.

DIxi ex Auguſtino, Gregorio, Bernardo & aliis, non obſtinatis dumtaxàt, ſed & aliis difficilem eſſe converſionem: ſentit id & Chryſoſthomus: non enim hi obſtinati erant, qui converſionis ſuæ causâ, ejus Conciones audituri, Eccleſiam ingrediebantur, quibus tamen dicit: *Uno audiſti die, quomodò uno die cadat, quæ tanto tempore radices immiſit?*

§. V.

Juxta S. Chryſoſthomum, Pœnitentia eſt unum de perfectis donis à Patre luminum deſcendentibus.

DIxi ex Gregorio, Pœnitentiam eſſe unum ex perfectis donis deſcendentibus à Patre luminum, dicit & Chryſoſt. *Hom. 5. de Pœnitent.* *Nobis igitur metipſis, Fratres, medicinam infundamus ſalutis pœnitentiam, magìs verò à Deo pœnitentiam ſuſcipiamus nobis medente.* Dixi, & præeuntem habui S. Fulgentium, à Deo quemadmodùm ad pœnitentiam oportet, mutari voluntatem: dicit & Chry- *L. de Incar. & grat. cap. 17.*

Chrysosthomus : *Si videris olim ebrium, nunc jejunare; si olim blasphemum, nunc Theologum: si eum qui quandoque turpibus cantilenis os inquinaverit, divinis nunc Hymnis animam purgare; mirare Dei longanimitatem, pœnitentiamquè collauda, ac demutationem & conversionem illius suspiciens dic:* HÆC MUTATIO DEXTERÆ EXCELSI. Ibid.

§. VI.

Iuxta S. Chrysosthomum, Pœnitentia à Deo precibus est impetranda.

DIxi ex Augustino & Gregorio pœnitentiæ & conversionis donum precibus à Deo impetrandum; dicit & Chrysosthomus : *Quemadmodùm enim pluvia duram terram in quam decidit, vel ignis ferrum mollit & humectat : ità vitiis induratum animum talis oratio, & igne vehementiùs, & plus quàm pluvia mollit & humectat : est enim anima tenera, & ad fugiendum facilis, sed quòd isti aquæ sæpè usuvenit, ut glacie concrescat; ità etiam nostræ accidit animæ, ut à peccato & socordiâ indurat & lapidescat. Magno ergò nobis calore opus est, ut quod durum est, emolliat: Hoc autem maximè efficit oratio.* Dixi ex Innocentio magnis precibus Dei gratiam esse petendam; dicit & Chrysosthomus: In Psal. 129. Hom. 24. in Matth.

Au-

Si enim hoc modo à suis vitiis minoribus justo sit resurgendum, quid mirum, si & impio peccatori, ut à consuetis suis mortiferis delectationibus amorem removeat atque de iis simul omnibus, ut oportet, pæniteat, pii laboris atque orationis incumbat necessitas?

CAPUT IX.

Vtrum æquè facilè ad pœnitentiam convertatur is qui sæpè relabitur, atque inveteratam mortaliter peccandi habet consuetudinem, ac ille, qui semel dumtaxat est lapsus?

DIxerat cap. 12. Manuductio, sæpiùs recidivos non sic facilè ac illum qui semel dumtaxat lapsus est, absolvendos, quòd illorum præ isto difficilior sit conversio. Ad hoc Appendix: *Concedo*, inquit *num.* 271. *loquendo de totali conversione, nego de inchoata.* Inchoatam intelligit, quæ ad Sacramenti susceptionem justitiamque sufficiat, quam proinde eâdem facilitate vult ab utrisque comparari.

Verùm non hoc sentit, cujus hîc videri vult inniti auctoritate, S. Gregorius.
L. 4. mo. c. 27. Etenim *lib.* 4. *moral.* 27. quatuor ponit

mo-

modos, quibus interior consensio peccato data consummetur in opere. Primus est ipsa consensio adhuc hærens in corde, quam sequitur pravi operis completio; dehinc in consuetudinem ducitur; ad extremum verò vel falsæ spei seductionibus, vel obstinatione miseræ desperationis enutritur. *Cum enim culpa*, inquit, *in usum venerit, ei jam animus etiamsi appetat, debilius resistit: quia quot vicibus pravæ frequentationis astringitur, quasi tot vinculis ad mentem ligatur. Vndè fit ut enervis animus, cum solvi non valet, ad quædam se solatia falsæ consolationis inclinet: quatenus venturum judicem tantæ sibi misericordiæ spondeat ut eos etiam, quos arguendos invenerit, penitùs non occidat. Cui rei hoc deterius accidit, quod ei multorum similium lingua consentit. Sciendum quoque est, quod tres illi modi peccantium juxta descensus sui ordinem faciliùs corriguntur; quartus vero iste difficiliùs emendatur. Vndè & Redemptor noster puellam in domo, juvenem extra portam, in sepulchro autem Lazarum suscitavit. Adhuc quippe quasi mortuus jacet in domo qui latet in peccato. Jam quasi extra portam educitur, cujus iniquitas usque ad inverecundiam publicæ perpetrationis aperitur. Sepulturæ vero aggere premitur, qui in perpetratione nequitiæ etiam usu consuetudinis pressus gravatur. Sed hos ad vitam miseratus revocat;*

Ibid. cap. 25.

vocat: quia plerumquè divina gratia, non ſolum in occultis ſed etiam in apertis iniquitatibus mortuos & mole pravæ conſuetudinis preſſos, reſpectûs ſui lumine illuſtrat. Quartum verò mortuum Redemptor noſter nuntiante diſcipulo agnoſcit, nec tamen ſuſcitat, quia valde difficile eſt, ut is, quem poſt uſum malæ conſuetudinis etiam ad ultimum adulantium linguæ excipiunt, à mentis ſuæ morte revocetur.

Tres, inquit, *illi modi peccantium juxta deſcenſus ſui ordinem facilius corriguntur.* Secundus primo difficiliùs, ſed minus arduè quàm tertius. Cum enim pravo conſenſui adjungitur pravi operis completio, hanc ſequitur ejuſdem operis prava delectatio, quâ prior mala cupiditas amplius nutritur & roboratur, ut jam arctiùs & tenaciùs eidem objecto animam alliget. Pulchrè id elucidat Auguſtinus exponens iſtum Pſal. 9. verſum: *In muſcipula iſta* (ubi nos legimus: *in laqueo iſto*) *quam abſconderunt, comprehenſus eſt pes eorum. Muſcipula, ait, occulta eſt doloſa cogitatio. Pes animæ rectè intelligitur amor: amore enim movetur tamquam ad locum quo tendit. Locus autem animæ non in ſpatio aliquo eſt, quod forma occupat corporis: ſed in delectatione quò ſe perveniſſe per amorem lætatur... Pes ergò peccatorum, id eſt, amor comprehenditur in muſcipula,*

quam

quam occultant: quia cum fraudulentam actionem consecuta fuerit delectatio, cum eos tradiderit Deus in concupiscentiam cordis eorum, jam illa delectatio alligat eos; ut indè abrumpere amorem, & ad utilia conferre non audeant: quia cum conati fuerint, dolebunt animo, tamquam pedem de compede exuere cupientes. Cui dolori succumbentes à perniciosis delectationibus nolunt abscedere.

Hæc tamen non sic dixerim, ac si universaliter completo opere, difficiliùs aut tardiùs resurgatur. Ipsa enim peccati turpitudo magis apparet in opere, & citiùs animam ob ea, quæ egit, facit confundi: quod, ut rectè Cyrillus Alex. *Principium bonorum est.* Hinc illud Hieronymi: *Rubor vultus pudoris indicium est. Et conscientia peccatorum lucet in facie; spésque salutis est, quando delictum sequitur verecundia.* Eapropter Richardo à S. Victore nolim dissentire dicenti: *Quamvis peccatum actionis secundum aliquid sit majus peccatum, tamen cogitationis secundum aliquid est periculosius. Nam peccatum actionis, quamvis fortè majùs sit ad reatum, peccatum tamen cogitationis vide ne fortè difficilius sit ad sanandum. Peccatum enim manifestum quò magis erubescimus, eò sæpè maturiùs corrigimus. Sæpè etiam culpa per actionem manifesta, vel admonitione corrigitur, vel*

Hom. 5. in Ierem.

In cap. 7. Ezech.

De statu inter. hom. tr. 2. cap. 5.

ultione percussa ab invito deseritur. *Hinc est quod in Evangelio Lucæ prius juvenis mortuus extra domum elatus resuscitatus legitur, quàm puella mortua quæ adhuc intra domum invenitur.* Hoc tamen D. Gregorii doctrinæ contrarium non est, nam & sæpè experta delectatione robotata & aucta cupiditas vincit pudorem.

§. I.

Post peccatum sæpius commissum difficilior est conversio.

Id verò maximè tum fit, si sæpè aut diù pravis saturandis desideriis & malæ percipiendæ delectationi insistitur: ex hoc enim arctiùs muscipulæ peccatorum pes, id est, amor comprehenditur & concluditur, ut jam indè extrahi difficile sit & operosum. Propter quod dicebat

Loco citato. Gregorius: *Cum culpa in usum venerit, ei jam animus, etiamsi appetat, debilius resistit: quia quot vicibus pravæ frequentationis astringitur, quasi tot vinculis ad mentem ligatur.* Hinc alibi

Lib. 13. mor. c. 10. dicit: *Facilè inimico resistitur, si non ei vel in multis lapsibus, vel in uno diutiùs consentiatur. Sin verò ejus suasionibus anima subesse consueverit, quantò se ei crebriùs subjicit, tantò eum sibi intolerabiliorem facit, ut ei reluctari non valeat.*

Hic

Hic jam est tertius peccantium gradus, à quo cæteris difficilius quisque convertitur, non solum conversione totali, quæ scilicet omnes ex malo usu acquisitos habitus excludat, ut admittit Appendix, sed & illa quæ ad justitiam satis sit. De hac enim agit Gregorius, dum ad similitudinem trium mortuorum à Christo resuscitatorum tria peccantium genera ab ipso dicit ad animæ vitam, hoc est justitiam revocari.

Neque unius Gregorii est ista comparatio: diu ante Gregorium eam adhibuit Augustinus, & ex utroque S. Thomas in Catena, quod deinceps Scripturæ Interpretes atque alii Ecclesiastici tractatores communiter sunt secuti, ut id jam hodiè in concionibus sit pervulgatum. Unanimi autem omnium consensu consuetudinariorum persona Lazaro tribuitur, non eâ facilitate, quâ cæteri ad vitam resuscitato; ut intimetur, ipsos præ aliis difficiliùs ad justitiam resurgere. *Tum quippe*, uti ex Augustino adducit S. Thomas, *Fremuit Dominus, lacrymavit, voce magnâ clamavit, quia difficile surgit, quem moles consuetudinis premit. Turbat se ipsum Christus, ut tibi significet, quomodo tu turbari debeas, cum tantâ mole peccati gravaris & premeris.*

Super Ioan. cap. 12.

Ibidem.

meris. Fides hominis sibi displicentis fremere debet in accusatione malorum operum, ut violentia pœnitentiæ cedat consuetudo peccandi.

§. II.

Perperàm adversus hæc allegatur in Appendice auctoritas S. Gregorii.

NIhil autem adversùm hæc valent, quas hîc confirmando proposito suo profert Appendix, Gregorii auctoritates. Dixit quidem hic S. Pontifex, *Lib. 22. mor. c. 13.* cuique peccatori jam exordium illuminationis est humilitas confessionis; dum scilicèt malum quod egit, non abscondendo & occultando defendit, sed agnoscendo & prodendo confitetur; sed quòd citò ac facilè inveteratus peccator, quemadmodùm ad justitiam oportet, conversus sit, non dixit, quin potiùs, si Gregorio standum sit, ex iis quæ hactenus ex ipso prolata sunt, contrarium evici.

Insuper non ità hæc dixit, ac si omnem qualitercumque peccatum suum agnoscentem & confitentem debitè putet conversum; hoc Gregorio contrarium est. Dilucidè enim mentem suam aperuit *Lib 2. c. 3. in l. 1. reg.* cùm dixit: *Conversio autem peccatoris non est in*

in humilitate confeßionis, sed in renovatione interioris hominis, cùm peccatori jam divinâ inspiratione correcto & malum displicet quod amavit, & bonum placet quod odit. Nam sunt nonnulli qui se & de nequitia accusant criminis, & pravitatem non corrigunt voluntatis: qui profectò converti ad Deum non creduntur: quia vera conversio in ore non accipitur, sed in corde, converti enim simul verti est. Conversio itaque peccatoris vera tunc est, cùm ad Creatoris nostri beneplacitum, uterque noster homo reducitur, cùm & caro nostra per iniquitatis odium cohibetur à perpetratione facinoris, & per amorem justitiæ mens se extendit ad intentionem bonæ operationis.

Sic Antiochus peccatum suum, non debitè conversus, confitebatur, quando *orabat hic scelestus Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus.* Peccatum suum confessus est & Saül, dum dixit: *Peccavi quia prævaricatus sum sermonem Domini. Nec tamen* (ait S. Fulgentius) *est indulgentiam consecutus, quia cor ejus non erat rectum coram Deo. Illa enim peccati confeßio ex timore fuit supplicii, non ex horrore peccati. Non odivit quod fecerat, sed timuit quod nolebat, nec culpam conversatione culpavit, sed ad præsens divini furoris percussus, terrore contremuit.*

Lib. 2. Machab. cap. 9. vers. 13.

Lib. 1. reg. c. 15. v. 24.

Lib. 2. de remiss. pecc. cap. 15.

Aliud profert Appendix Gregorii

dictum ex hom. 26. in Evang. Hic Lazari resuscitatio & solutio accommodatur conversioni & absolutioni peccatoris. Lazarus enim CHRISTI potestate vivificatus, & jam foras è sepulchro egrediens, Discipulis traditus fuit institis suis solvendus: Hoc, dicit, modo peccatorem interiori conversione à CHRISTO resuscitatum, & jam foras per Confessionem prodeuntem, peccatorum suorum vinculis ab Ecclesiæ Ministris esse solvendum. Id verò assertæ hactenùs Doctrinæ nec apparenter contrarium est: sin autem sufficere putet Appendix omnem qualemcumque Confessionem, jam habet responsum.

CAPUT X.

Quid circa traditam hactenùs de Conversione peccatoris Doctrinam senserit S. Joannes Chrysosthomus.

HActenùs SS. DD. potissimùm Augustini & Gregorii, præclarissimorum Ecclesiæ luminum auctoritate subnixus, modum comparandæ peccatori conversionis exposui. Chrysosthomus tamen huc us-

que tantùm non est omissus: ad ipsum fortassis provocabit Appendix, quem num. 245. dicit tutiùs audiendum, & infrà aliquoties facit loquentem. Ego aureum os ejus veneror, non solùm ob dicendi copiam, sed maximè ob doctrinæ ubertatem. Quanquàm tamen adversus tales ac tantos ejus Collegas, quos hactenùs protuli, si fortè aliter saperet, non facilè dixerim, tutiùs audiri: sed absit, id de tanto viro suspicer, & in hâc parte ipsum à cæteris Ecclesiæ Proceribus arbitrer dissentire. Adhuc nobis scriptis suis loquitur, ipsum adeamus & audiamus.

§. I.

Juxta S. Chrysosthomum peccati jugum difficulter excutitur.

Dixi ex S. Bernardo, difficilem rem esse susceptum semel peccati jugum cervicibus excutere; dicit & Chrysosthomus: *Cùm enim semel quasi vinolentiâ in insano furore oppressa sit ratio, difficillimum est resipiscere, nisi generosissima sit anima, quæ opprimitur: periculosum certè, periculosum, inquam, est, perniciosissimis his passionibus locum concedere, quare oportet omni pacto rejicere ingressum* *Hom. 87. in Matth.*

gressum ipsarum, atque repellere: nam si comprehenderint animam atque superaverint, tunc sicut ignis ingentem ac siccam nactus materiam, maximam solent flammam accendere. Quare rogo atque oro, omnia faciamus, ut quasi maceriâ excludamus à nobis harum ingressum.

§. II.

Juxta S. Chrysosthomum, diaboli jugo sæpiùs consentiendo, fit ipse quasi intolerabilis.

DIxi ex Gregorio pravæ diaboli suggestioni sæpiùs consentiendo, illum nobis ad resistendum fieri quasi intolerabilem, dicit & Chrysosthomus: *Grave enim, grave est, dilecti, capi laqueis diaboli: anima enim posteà quasi in retibus comprehensa trahitur, & sicut sus in luti volutabro oblectatur; sic & ista à mala consuetudine obruta, ne sentit quidem peccatorum fœtorem: ideò opus est, ut sobrii & vigiles simus, ne ab initio diabolo ingressum concedamus, ut nè dum obtenebrata fuerit nostra ratio, & excœcata mentis perspicacia, faciat quasi privato hujus solis lumine, ne valeas in radios Solis justitiæ contueri, & ità præceps feraris.*

Hom. 21. in Genes.

§. III.

§. III.

Juxta S. Chrysosthomum flagitiosorum conversio tempus requirit.

DIxi ex eodem Gregorio, flagitiosorum conversionem non esse facilem: dixi ex Cyrillo Alexandrino tempore ad eam opus esse, utrumque dicit & Chrysosthomus: cùm enim ejusmodi peccatores ad pœnitentiam, resipiscentiamque fuerat adhortatus, sed eosdem primæ monitioni non obsecutos, pudibundos videbat ut secundò Ecclesiam accederent, hortationem resumens: *Magìs*, ait, *ingredere, quoniam quidem non observasti, quo iterùm audiens observes. Medelam si apposuerit Medicus, neque priori te die purgaverit, num eam rursus die alterâ non apponet? Est quisquam quercini roboris cæsor, is quercum, si velit cadere, securim accipit, incidit radicem: si plaga una percusserit, neque ceciderit infructuosa arbor, nonnè secundam dederit, non quartam, non quintam, non decimam? sic & tu fac. Quercus est fornicatio, glandes ferens irrationabilium animalium escam, multo tempore tua in mente radicata: in arborum circuitu tuam dejecit conscientiam meus sermo; meus sermo securis est, uno audisti die: quomodò uno die cadat, quæ tanto tempore radices immisit?* &c.

Hom. 3. de pænit.

§. IV.

§. IV.

Juxta S. Chrysosthomum non solis obstinatis difficilis est conversio.

DIxi ex Augustino, Gregorio, Bernardo & aliis, non obstinatis dumtaxàt, sed & aliis difficilem esse conversionem: sentit id & Chrysosthomus: non enim hi obstinati erant, qui conversionis suæ causâ, ejus Conciones audituri, Ecclesiam ingrediebantur, quibus tamen dicit: *Uno audisti die, quomodò uno die cadat, quæ tanto tempore radices immisit?*

§. V.

Juxta S. Chrysosthomum, Pœnitentia est unum de perfectis donis à Patre luminum descendentibus.

DIxi ex Gregorio, Pœnitentiam esse unum ex perfectis donis descendentibus à Patre luminum, dicit & Chrysost. *Nobis igitur metipsis, Fratres, medicinam infundamus salutis pœnitentiam, magis verò à Deo pœnitentiam suscipiamus nobis medente.* Dixi, & præeuntem habui S. Fulgentium, à Deo quemadmodùm ad pœnitentiam oportet, mutari voluntatem: dicit & Chry-

Hom. 5. de Pœnitent.

L. de Incar. & grat. cap. 17.

Chrysosthomus: *Si videris olim ebrium, nunc jejunare; si olim blasphemum, nunc Theologum: si eum qui quandoque turpibus cantilenis os inquinaverit, divinis nunc Hymnis animam purgare; mirare Dei longanimitatem, pœnitentiamquè collauda, ac demutationem & conversionem illius suspiciens dic:* HÆC MUTATIO DEXTERÆ EXCELSI. *Ibid.*

§. VI.

Iuxta S. Chrysosthomum, Pœnitentia à Deo precibus est impetranda.

DIxi ex Augustino & Gregorio pœnitentiæ & conversionis donum precibus à Deo impetrandum; dicit & Chrysosthomus: *Quemadmodùm enim pluvia duram terram in quam decidit, vel ignis ferrum mollit & humectat: ità vitiis induratum animum talis oratio, & igne vehementiùs, & plus quàm pluvia mollit & humectat: est enim anima tenera, & ad fugiendum facilis, sed quòd isti aquæ sapè usuvenit, ut glacie concrescat; ità etiam nostræ accidit animæ, ut à peccato & socordiâ indurat & lapidescat. Magno ergò nobis calore opus est, ut quod durum est, emolliat: Hoc autem maximè efficit oratio.* Dixi ex Innocentio magnis precibus Dei gratiam esse petendam: dicit & Chrysosthomus: *In Psal. 129.* *Hom. 24. in Matth.*

Au-

Auxilium Dei orationum perſeverantiâ promeretur; propterea & petere præcepit, eiſquè ſe daturum ſpopondit, nec tamen obiter poſtulare juſſit, ſed cum ſedulitate multa & magna intentione.

Dixi ex Gregorio hâc ſedulitate opus eſſe peccatori à peccato ſurgere volenti;
In Pſ. 129. dicit & Chryſoſthomus: *Vidi ſæpè mulieres propter virum peregrinantem & infantem ægrotantem ita de profundis orantes, & tantos fontes lachrymarum emittentes, ut tandem voti ſui eſſent compotes: ſi autem mulieres ita inflammantur in orationibus pro viro & infante: quænam verò venia dabitur, qui pro anima morte affecta mollis eſt & languidus?*

§. VII.

Iuxta S. Chryſoſthomum non omnis qui peccatum ſuum agnoſcit & confitetur, eſt converſus.

DIxi ex Gregorio non omnem qui peccatum ſuum agnoſcit & confitetur debitè eſſe converſum, dicit &
Epiſt. 5. Chryſoſthomus Theodoro lapſo: *Cæterum tu confiteris peccata, teque tui miſeret ſupra modum: ſcio equidem ſatis: verùm id non requiro ſolùm, cupio autem ut te res aliqua juſtificet, ut primum te obſequentem præbueris:* Et poſteà; *vehementer ſe damnare profiteriquè pec-*

peccatorem commune est, ut sic dixerim, etiam cum infidelibus. Multos à scena tam viros quàm mulieres quum turpitudinem suam perpendunt, sui miseret: at non collimant ad verum scopum: ideoquè istud, confessionem, nulla ratione nominarim: quia non est cum animæ compunctione, neque cum amaritudine lachrymarum, neque cum peccatorum abolitione quod ea sic enuntient.

§. VIII.

Juxta S. Chrysosthomum graviorum delictorum pœnitentiæ conjungenda est continentia.

DIxi ex Augustino & Bernardo, graviorum delictorum pœnitentiæ conjungi oportere continentiam; propter quod dixi & ex S. Carolo, sic renuntiandum præteritis, ut simul congruis assumptis remediis satagatur de cavendis futuris; dicit & Chrysosthomus eidem Theodoro: *Ne igitur perindè peccatum atque accusator traduxeris: sed tanquam qui debet justificari per formam pœnitentiæ, quo pacto animam confitentis assiduâ curâ licebit continere, ne quando ad vitia relabatur:* Dixerat & supra: *Si uno velut nisu ad summum illud fastigium conscendere juberem, haud injuriâ gravatim tentares propter permixtam rei difficulta-*

tem: quando verò tantulum dumtaxat in præsentia requiro, non dico quantum malis peractis debetur; sed quantulumcumquè eum qui hoc loci consistit, retinere sufficit, ne in contrarium relabatur: Quid dum cunctaris? quid refugis? quid te ipsum retrahis?

Viden Francisce Carole quid dicat, quem tutius putas audiendum? Viden quod una sit ipsius & cæterorum Collegarum ejus doctrina: illi & ipsis consentias & à nobis non dissenties.

§. IX.

Vt conversis Deus peccata remittat, non opus est tempore.

Hom. 27. in Genes. SEd num. 245. inducis tu quoque Chrysostomum loquentem: *Dominum habemus misericordem & benignum qui non indiget tempore, tantùm magno fervore & sobrietate ad ipsum accedamus, rejectis sæcularibus curis omnibus, & supernæ gratiæ innitamur: nam & Ninivitæ tantâ peccatorum multitudine aggravati, quia magnam & veram Pœnitentiam egerunt, non indigebant ampliori quàm trium dierum tempore ad provocandam Dei bonitatem, & irritandam quæ adversum se lata erat, sententiam* (qui adhuc non habebant Sacramentum Pœnitentiæ sicut nos.) *Et quid dica*

dico Ninivitas? Latro in Cruce neque uno die opus habebat. Et quid dico uno die? Neque brevi horâ. Tanta est Dei erga nos misericordia. Nam ubi viderit voluntatis nostræ firmum propositum, & ferventi desiderio ad se accedere, non tardat neque differt, sed accelerat; suamque solitam liberalitatem exhibens dicit: Adhuc loquente te dicam, Ecce adsum.

Assertam hoc loco Chrysostomi doctrinam totam recipio: Da peccatorem *magno fervore & sobrietate ad* Deum *accedentem, rejectis sæcularibus curis omnibus, & supernæ gratiæ innitentem:* Da *magnam & veram pænitentiam agentem:* Deniquè da qui *firmi propositi sit, & ferventi desiderio ad Deum accedit* (de hoc enim loquitur Chrysostomus) & ipse confiteor nec brevi ei horâ opus esse, sed ilicò, saltem suscepto Sacramento, peccatorum remissione & justitiâ donandum. Ille enim hîc à Chrysosthomo descriptus, jam conversus est ac legitimè pœnitens, cui proindè longo tempore opus non est ut indulgentiam à Deo consequatur. Istud est quòd assiduè Ninivitarum & latronis exemplis inculcat. *Non ad temporis rationem*, ait Theodoro lapso, *sed juxta affectum animæ solet dijudicari pænitentia.* Et alibi: *non tempus æstimatur, sed pænitentis modus extinguit peccatum.* *Epist. 5.* *Hom. 5. de pænit.*

 §. X.

§. X.

Quæstio hic non est an tempore opus sit ut conversis Deus peccata remittat: sed an brevi tempore conversio peragi soleat? sive an Deus illam, consuetudinariis præcipuè, tam citò dare soleat?

VErùm non hoc nunc agitur: quæstio est an lapsus peccator, maximè mortfieris cupiditatibus servire consuetus, cito & absquè labore sic illis ex corde renuntiet, ut rejectis sæcularibus curis omnibus firmò proposito & magno fervore & sobrietate ad Deum accedat, magnamque ac veram pœnitentiam agat. Factum id est in latrone ac per hoc fieri potest: *Neque enim Deo*, ut supra ex Bernardo dixi, *difficile est de subito perfectam dare contritionem.* Sed id regulariter non fieri & SS. Patrum testificatione & ipsis quotidianis experimentis cognoscimus. Et si Chrysosthomum interrogemus, respondebit hujusmodi *difficillimum esse resipiscere.* Dicet *malam arborem*, hoc est pravum affectum usu in animo radicatum *uno die non posse dejici.* Testabitur *peccato & socordiâ suâ sic subindè animam indurari & lapidescere ut magno ei calore*, nempe divini amoris de Dei inspiratione conce-

pti

pti, opus ſit, *ut durities ejus emoleſcat.*

Tibi diſplicet Manuductio, quòd ad labores & preces ejuſmodi peccatores hortetur; tibi diſplicet quod ſatis ei non ſit brevis paucarum linearum oratiuncula: ſed rogo non diſpliceat Chryſoſthomus; nihil enim illa dicit, quod non ampliori phraſi & grandiori eloquio dicit & ipſe. Nec te ſi librum ejus videris id potuit latere. Illo ipſo enim quem citas loco, ſtatim poſt verba à te prolata ſubſequitur: *Itaquè exauditurus eſt & nos ſi voluerimus in paucis diebus iſtis ſtudii ſpecimen quoddam afferre, & jejunii ſubſidio non abuti, & excuſſâ ſocordiâ continuis precibus placare Dominum, calentes profundere lachrymas, delicta noſtra ſedulò confiteri, & quàſi medico proponere vulnera noſtra & animarum ulcera declarare, nec abjicere quam iſte dat medicinam, nec non & alia quæ à nobis exiguntur afferre, animo, inquam, conteri & compungi, eleëmoſynam dare largam, affectiones quæ mentem noſtram interturbant refrænare, & ex anima eliminare, ut neque ab divitiarum cupiditate expugnemur, neque injurias illatas vindicare cupiamus, neque hoſtiliter in proximum affecti ſimus.* *Hom. 27. in Geneſ.*

Profers & alia nonnulla ex Chryſoſthomo teſtimonia, ſed hæc præcipuè ſatisfa-

tisfactionem concernunt, de qua infrà suus erit differendi locus.

CAPUT XI.

Vtrum ad sufficientem conversionem necessarium sit vitiosos habitus malè vivendo comparatos, cæterasquè peccatorum reliquias jam esse exclusas?

NUm. 262. concedit Appendix malam peccandi consuetudinem superatu esse difficilem, sed negat quousque illa superata fuerit; absolutionem esse differendam. Cui sanè intellecto, neque Manuductio contraria est, neque ipse velim refragari. Plenè superatam tum intelligo dum acquisitis per illam pravis habitibus animus purgatus fuerit, atque à contractâ inde ad relabendum infirmitate sanatus. Id autem necessarium non esse ut debitè quis conversus sit atque justitiæ percipiendæ idoneus, apposito exemplo confirmat D. Bernardus. *Interdum*, ait, *corporeus oculus, non adhuc festucâ manente, sed jam sublatâ, vel exsufflatâ, aliquamdiu caligare videtur. Quod quidem & ipsum & in interiori oculo qui in spiritu ambulabat, sæpius experitur. Neque enim*

T. de conv. ad cler. cap. 17.

ut

ut ferrum extraxeris, continuò vulnus redditum est sanitati. Sed tunc primum necesse est adhibere fomenta & operam dare curationi. Nemo ergo sentinam ejiciens mundum se protinus arbitretur, quin imo noverit se multis purificationibus egere. Nec modò lavandum aquâ sed & purgandum & examinandum igni; sed amplius id est exponendum.

Itaquè animam à Deo aversam atque mortiferis cupiditatibus affectu inhærentem, ægrè ab iis avelli atque ut oportet, in Deum converti, quantum sufficere visum est, hucusque monstravi. Sed quamvis jam post variam sæpè luctam nova voluntas de Dei inspiratione concepta & ejus adjutorio aucta & roborata veteri cupiditati cæperit prævalere, hæc tamen non ilico tota pellitur, aut malo ejus affectu anima integrè evacuatur; sed fit quod eruditè à S. Prospero dictum est: *Veteres tenebræ nova luce pelluntur & obtutus interior caligine antiqui erroris exuitur: transit animus de voluntate in voluntatem: etsi illa quæ pellitur aliquâ contagione remoratur, ea tamen quæ gignitur electiora quæquè sibi vendicat. Vt lex peccati & lex Dei diversas atque discretas in eodem homine habeat mansiones: & concupiscente carne adversus spiritum, carnis etiam concupiscentiis spiritu repugnante per exteriora quidem insidiari tentator*

Lib. 1. de voc. gent. cap. 8.

tentator audeat, sed mens auxilio Dei munita praevaleat

Malam voluntatem, quæ bonâ superveniente voluntate pellitur, aliquâ sui contagione remorari, ideò dictum existimo, quòd non ilico omnibus ejus reliquiis animus depurgetur. Ex quo fit ut licet ab omni gravi delicto sese cavere statuerit, non sic tamen ejus affectu liber est ut non subindè quædam maneat vitiosa propensio. Ista autem contagio seu remanentes in corde mali affectus reliquiæ, dum consuetæ recurrunt delectationes, facilè excitantur, ac pravis desideriis animum commovent, quibus contrariam bonam voluntatem in conversionis principio, plérumquè non valde robustam, haud difficile est deprimi atque etiam superari. Hæc est illa in non paucis noviter conversis ad relabendum infirmitas, ob quam dicebat S. Cyrillus Alex. *Qui quamcumquè virtutem colere nuper cœperit, eum minimè adhuc ad pugnam aptum esse, sed posse ad vitium facile detorqueri*: Et post hunc alius eruditus Scriptor: *Exclude etiam ab oculis exterioribus quod desuevisti videre, ab interioribus quod amare: quia nihil tam facile recrudescit quàm amor, & maximè in tenerioribus & recentioribus animis.*

L. 5. de ador. in spiri.

Auth. Lib. ad fratres de monte Dei inter opera Bernardi.

§. I.

§. I.

Recenter conversis præ aliis peccatorum illecebræ sunt periculosæ.

EA propter peccatorum illecebræ ipsis præ aliis sunt periculosæ. Multa quoque sunt ex se vel non mala vel non gravia, quibus tamen ita infirmi nisi cum proximo peccati discrimine nequeunt insistere. Hæc omnia sollicitius præ cæteris vitanda ipsis sunt, si peccati relapsum veraciter intendant cavere. Non se ad fortitudinem aliorum comparent; peccati enim occasio aliis parva aut remota, ipsis sæpè numero est proxima. Prudentiæ atque cautionis modus, melius non potest, quàm ex iis quibus corporis sanitas custoditur, monstrari. Pone enim quempiam post febris abscessum, ex ejus reliquiis, ut fieri solet, corpore adhuc debilem, is certè infirmitate durante, si morbi recidivum veraciter evitare velit, cæteris se cautius custodit, omnibus etiam perfectè sano non nocivis, sed sibi ex sua indispositione noxiis abstinet; denique ea assumit quibus infirmitas paulatim excludi valet, ac robur sanitatis comparari. Hunc imitetur & animo infirmus.

Tametsi

Tametſi itaque ad veram converſionem opus non ſit, omnem ex priori malo uſu comparatam infirmitatem jam eſſe ſublatam; neceſſarium tamen omnino eſt abſolutum non relabendi propoſitum, & per conſequens faciendi ea quæ durante infirmitate ad cavendum peccati recidivum ſunt neceſſaria. Hinc non ſummum perfectionis gradum, non exactam pœnitentiam commiſſis peccatis debitam à Theodoro lapſo ad converſionem poſtulabat Chryſoſthomus. Sed quid? *Quantulumcumquè eum, inquit, qui hoc loci conſiſtit, retinere ſufficit, ne in contrarium relabatur.* Tanquam id infimum eſſet, ſicut revera eſt, ſine quo vera converſio nequit ſubſiſtere. Hinc eidem Theodoro delicta ſua accuſanti, ſeque reum arguenti dicit ipſe idem Chryſoſthomus: *Cæterùm tu confiteris peccata, teque tui miſeret ſupra modum: ſcio equidem ſatis: verùm id non requiro ſolum; cupio autem, ut te res aliqua juſtificet, ut primum te obſequentem præbueris. Quamdiu enim lucroſam intermittis confeſſionem illam, nihil eſt cur te accuſes, quoniam neſcis in poſterum de peccatis diſcedere, &c. Ne igitur peccatum atque accuſator traduxeris; ſed tanquam qui debet juſtificari per formam pænitentiæ: quo pacto animam confitentis aſſiduâ curâ licebit continere, nequando ad vitia relabatur.*

§.II.

§. II.

Recenter conversis quædam sunt peccati occasio quæ non aliis.

AD hanc autem curam pertinet, omnes peccati occasiones sibi præscindere; non eas dumtaxat, quæ omnibus communiter vitandæ sunt; sed & illas ex quibus speciatim sibi, ex sua infirmitate, peccati periculum videt imminere; ut meritò omni animæ à pessimæ consuetudinis suæ loco recedere cupienti, necessarium dixerit Aëlredus: *Ut sicut damula insequentes, sic illa timens materias fugiat peccatorum.* Et illi coævus Bernardus: *Quia vero*, ait, *non satis cecidisse piget hominem (ut videtur) qui adhuc manere disponit in lubrico; aut errasse, qui ducem non quærit: sic veræ compunctionis judicium opportunitatis fuga, substractio occasionis.* Cujusmodi id momenti sit, indicat Salvator dum ad vitandum peccati scandalum omnem nos vult necessitatem, atque conjunctionem abrumpere: *Si oculus tuus dexter*, inquit, *scandalizat te, erue eum & projice abs te: expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum mittatur in gehennam. Non dicens de oculo* (ait Sanctus Chry-

Serm. 12. in cap. 13. Isa.

Serm. 1. Pasch. cap. 16.

Matth. 5. vers. 29.

In Psal. 4.

Chrysosthomus) *quid enim mali fecerit oculus, si sanus est animus? Sed de amicis necessariis, & qui sunt nobis loco horum membrorum, & nos lædunt, hæc constituit; jubens eorum etiam amicitiam contemnere, ut sua salus efficiatur tutior. Hic est fructus pœnitentiæ*, ait alibi, *hoc est lucrum lacrymarum: mens enim quæ ita est contrita, nullâ deinceps libidine tenetur. Hoc ipsum nos quoque faciamus, & si sit quispiam, vel ipso diademate redimitus, nos autem lædat, aspernemur ejus amicitiam.*

In Psal. 6.

Has tamen peccati illecebras atque occasiones quamvis vitare quis velit, effugere tamen nequit, ut non multos adhuc deceptionis laqueos illi tendant propria caro, mundus, & diabolus. Propter quod cuilibet dicitur: Memento, quoniam in medio laqueorum ambulas. His facilè est ex peccati reliquiis adhuc infirmum animum capi. Ac per hoc magna ei peccati occasio est ista sua infirmitas. A qua proindè nisi congruis aptisquè mediis sanari satagat, nondum simpliciter vult peccati recidivum cavere. Hîc malè nonnulli torporem suum confessione solantur; ipsam enim non debitè instituunt, nisi absolutè velint à relapsu continere. Non id autem volunt, quamdiu in hâc infirmitate expresè vel interpretativè

tativè volunt perſiſtere. *Ne ſecurus ſis*, ait D. Auguſtinus, *cum confeſſus fueris peccatum, tanquam ſemper paratus ad confitendum & committendum peccatum. Sic pronuntia iniquitatem tuam, ut curam geras pro peccato tuo. Quid eſt curam gerere pro peccato tuo? curam gerere pro vulnere tuo. Si diceres curam geram pro vulnere meo, quid intelligeretur, niſi dabo operam ut ſanētur? hoc eſt enim curam gerere pro delicto, ſemper niti, ſemper intendere, ſemper ſtudiosè & ſedulò agere ut ſanes peccatum. Hoc eſt curam geram pro peccato meo, faciam omnia quæcumque facienda ſunt, ad abluendum & ſanandum peccatum meum.* In Pſal. 37.

§. III.

Non levi ſtudio, nec parvo conatu recenter converſis opus eſt.

NOn levi autem plerumquè ad hoc opus eſt ſtudio, aut parvo conatu. Etenim ex innatæ quâ nunc languet omnis anima, concupiſcentiæ pondere ad mala inclinamur; ſic ut difficile ſit adverſus hunc corruptæ naturæ niſum ad meliora proficere, aut in bono propoſito perſiſtere. *Mens etenim mutabilitatis ſuæ pondere*, ait D. Gregorius, *ad aliud ſemper impellitur quàm eſt, & niſi in ſtatu ſuo arctâ* L. 11. mor. cap. 27.

cuſtodiæ

custodiæ disciplinâ teneatur, semper in deteriora dilabitur. Vnde nunc cum ad meliora nititur, quasi contra ictum fluminis conatur. Cum verò ab intentione ascendendi resolvitur, sine labore ad
Cap. 28. *ima ducitur. Quia enim in ascensu labor est, in descensu otium; intraturos per angustam portam Dominus admonet, dicens: contendite intrare per angustam portam. Dicturus quippè angustæ portæ introitum, præmisit, contendite, quia nisi mentis intentio serveat, unda mundi non vincitur, per quam anima semper ad ima revocatur.*

Isto contentionis fervore, tum maximè opus est, cum non solùm communi illo ex primâ prævaricatione ingenitæ concupiscentiæ morbo, sed etiam ex propriorum peccatorum reliquiis animus infirmatur. Ex istis enim reliquiis & plura & majora peccati desideria agit in ipso mala concupiscentia, ac per hoc fortiori nisu ad sibi obsequendum animam inclinat, ut jam huic vigilantiori opus sit studio, majoriquè conatu, ne se ab illa superari sinat, & captivari. Quo conatu dum paulatim proficit, & bona in ipsâ voluntas roboratur, & magis ac magis à peccati reliquiis depurgatur. Cui proindè purgationi labore opus est, & longanimitate, ut verè dixerit S. Isidorus:

rus: *Satis delicatè se palpat, qui vult sine labore vitia superare, dum peccati legem quam sibi deserviendo vitiis fecit, sine violentia doloris resecare non possit?* Pluribus id ac pulchrè lib. 4. de adorat. prosequitur S. Cyrillus Alex. exiguis laboribus hanc rem non perfici omninò asseverans, neque ullo modo ab iis qui remissiorem vitam ac voluptuosam amplectuntur. *Lib. 2. serv. c. 32. num. 3.*

§. IV.

Immeritò culpatur Manuductio, quòd à recenter conversis exigat, ut desinant commodè & delitiosè vivere.

IMmeritò proindè dicit Appendix nu. 265. *Si ergo peccator doleat de præteritis peccatis, & de cæterò proponat servare mandata, licèt commodè vivat, & nullas alias mortificationes exerceat, quàm illas ad quas obligatur ex præcepto Ecclesiæ vel vi sui status, verè est conversus.* Hæc dicens opponit se Manuductioni, quæ delicatulos illos debitè negat esse conversos, quibus licèt peccatum utcumque displiceat, ac vitæ placeat innocentia, animæ justitia, atque in eâ perseverantia; tamen delitiosæ aut desidiosæ vitæ assueti, nondum sese quemadmodum oportet, resolvunt ut recidivum

caveant, ferventquè justitiam, contendere, laborare, orare. Rectè id asserit Manuductio, sed non rectè reprehendit Appendix; sufficere asseverans quod peccator doleat de præteritis peccatis, & de cætero proponat servare mandata. Cujusmodi enim hîc intelligit propositum? si verum & absolutum; illud nemo habet, nisi qui ad servanda mandata, quorum unum est vitare relapsum, necessaria sibi media velit assumere. Hæc media sunt: contendere intrare per angustam portam, mortificare membra sua quæ sunt super terram, crucifigere carnem suam, cum vitiis & concupiscentiis: si dexter nos oculus aut manus scandalizet, eandem abscindere & à nobis projicere: deniquè in omnibus sollicitum ambulare cum Deo. Ad ista *nisi mentis intentio ferveat*, ut supra dicebat Gregorius, *unda mundi non vincitur, per quam semper anima ad ima revocatur.* Et ante ipsum Chrysosthomus: *Dum adhuc tempus habemus, omnem deponentes ignaviam virtutem amemus, peccatum odio habeamus: nisi enim & ad istam amore & desiderio quodam immenso nos contulerimus, & ignaviam valdè oderimus: neque hujus damnum effugere, neque illam amplexari poterimus.* Et iterum; *Magno studio cæleste*

Hom. 22. in Gen.

Hom. 70. in Matth.

cœleste regnum rapiamus. Nemo enim, nemo, inquam, desidiâ corruptus illuc introire poterit. Ille est modus mandatis Dei perseveranter servandis necessarius, quem proindè acceptat quisquis de cætero Dei obsequi mandatis veraciter proponit. Hujusmodi si intelligeret Appendix mandata servare proponentem, rectè diceret, sed Manuductioni, cui consentiret, malè contradiceret.

§. V.

Appendix recenter conversis præbet fomentum ignaviæ, eosquè relabendi periculis mirè exponit.

Sed quantum capio, aliud vult, sufficere nempè propositum quod fit à nonnullis qui sic servare mandata proponunt, ut tamen ad id exequendum nimium eis sit multum laborare aut sollicitum esse. Hoc si sentit; multum fallitur, & plurimis noxium præbet ignaviæ fomentum. Ejusmodi pr positi insufficientiam omne vulgus agnoscit in iis, qui dum artem aliquam addiscere desiderant, ignavi tamen necessarium laborem omittunt subire. Hinc meritò ejusmodi tanquam reproborum taxat justæ vitæ pro-

positum S. Gregorius: *Benè*, inquit, *de reprobis dicitur, involutæ sunt semitæ gressuum eorum, quia recta quidem deliberando appetunt, sed ad consueta semper mala replicantur, & quasi extra se tensi, ad semetipsos per circuitum redeunt, qui bona quidem cupiunt, sed à malis nequaquam recedunt. Esse quidem humiles, sed tamen sine despectu: esse contenti propriis, sed sine necessitate: esse casti, sed sine maceratione corporis: esse patientes, sed sine contumeliis volunt: cumquè adipisci virtutes quærunt, sed labores virtutum fugiunt, quid aliud quàm exhibere belli certamina in campo nesciunt, & triumphare in urbibus de bello concupiscunt?*

§. VI.

Malè urget Appendix quod hæc doctrina nata sit homines in desperationem præcipitare.

SEd urget Appendix, quod hæc nata sint innumeros in desperationem præcipitare. Sed panicus est ille timor: jam enim magis confidere debent, quòd eis malæ spei fulcrum eripiatur, & solidæ spei, unde confundendi non sunt, juxta divinæ Scripturæ regulas, ratio demonstretur. Si hæc infirmitati eorum magna sint, adest Dominus ut qui jubet, juvet, neminem deserens (ut notat Augu-

In Ps. 32. conc.

gu-

gustinus) laborantem & clamantem ad se. Bonum autem eis est veræ pœnitentiæ arduitatem agnoscere, ut debitum pro ea laborem minùs refugiant. Quo facto arduitas ejus levigatur & minoratur. Hinc S. Gregorius moraliter exponens illud lib. 1. Reg. cap. 6. FACIETIS SIMILITUDINES, &C. SI FORTE RELEVET MANUM SUAM A VOBIS. *Quid aliud*, inquit, *in hoc verbo dubitationis accipitur, nisi quia difficilis ostenditur reconciliatio criminosorum? Vndè & per Jonam dicitur:* QUIS SCIT SI CONVERTATUR ET IGNOSCAT DEUS? *Quia ergò* si fortè relevet manum *dicitur; commoveri ad pœnitentiæ lachrymas cum magna fortitudine debemus: quia etsi hi qui pœnitentiam austeram faciunt, vix fiduciam salutis inveniunt; negligentes salvi fieri quando possunt? Quæ profectò reconciliationis difficultas, si in pœnitentium æstimatione tenetur, apud omnipotentem Deum nequaquam invenitur: quia & dum Ninivitæ velut pro difficili reconciliatione gravi pœnitentiâ se dejiciunt, omnipotentis Dei misericordiam facilè meruerunt, &c.* Lib. 3. c. 4. in l. 1. Reg.



§. VII.

Observantia mandatorum Dei multa exigit.

SCripturas quibus contendendum nobis dicitur intrare per angustam portam, vi Dei regnum rapiendum &c. respondet Appendix consistere in observantia mandatorum Dei. Sic est: observantia mandatorum Dei arcta & angusta via est quæ ducit ad vitam, per quam ut quisque incedat, contendendumest, & quo est infirmior, magis contendendum, ne ab ea deflectat, sollicitus debet cum Deo ambulare, pravæ concupiscentiæ suæ motus viriliter premere, adversus Diaboli circumeuntis insidias, mundi allicientis illecebras sobrius esse & vigil, etiam dexterum oculum aut manum si sibi scandalo sit, à se projicere, deniquè ab omnibus, quantum ut peccati recidivum vitet necesse est, sese continendo, orare ut non intret in tentationem. Hoc modo juxta Scripturæ regulas mandata servanda sunt, quibus quisquis animi mollitie aut ignaviâ insistere detrectat, ac juxta eas vitam moderari, nondum absolutè mandata proponit servare, ac per hoc nondum est debitè conversus.

§. VIII.

§. VIII.

Peccatori lapſo tria ſunt neceſſaria; ſcilicèt pœnitentia, correctio, & ſollicitudo.

ITaque lapſo peccatori tria cum Bernardo ad reſipiſcentiam ſtatuenda ſunt neceſſaria. Primum eſt, præteritorum pœnitentia, alterum vitæ correctio; *pænitudo enim*, ait, *ſine correctione non proderit*, qua tameri neceſſe non eſt omnes peccati reliquias excludi. Sed quia hinc infirmus animus diù correctùs permanere non poteſt, niſi circa ſe multâ circumſpectione vigilet & attendat; tertio requiritur ſollicitudo, ut jam *ſollicitus incipiat ambulare cum Deo ſuo.* Proindè ut quæ ſit legitima pœnitentia breviter aperiam; dico cum Richardo à S. Victore: *Hoc eſt verè pœnitere, de præterita prævaricatione dolere cum firmo propoſito confitendi, ſatisfaciendi & cum omni cautela cavendi.* In hunc modum pœnitentes meritò debent abſolvi; alioquin ſine abſolutione remitti.

Serm. 3. in vig. nativ.

Michea 6. verſ. 8.

L. de poteſt. lig. & ſolv. cap. 6.

CAPUT XII.

Vtrùm hæc duo sibi conveniant : Deus quolibet momento paratus est peccatorem in gratiam suscipere : & tamen regulariter inveteratus peccator non solet in momento, seu brevissimo tempore ad veram conversionem sufficienter disponi?

CAp. 10. concedit Manuductio; sicut procul dubio concedendum est, omni tempore paratum Deum peccatores in gratiam recipere, innixa Scripturæ dicenti : *Cùm quæsieris Dominum Deum tuum, invenies eum:* sed conditio subjungitur : *si tamen toto corde quæsieris, & totâ tribulatione animæ tuæ.* Hanc negat ab inveterato maximè peccatore citò, ac parvi temporis spatio adimpleri. Improbat id num. 263. Appendix, eò quòd consequens putet : *Si Deus omni momento paratus est peccatorem excipere in gratiam, ergò omni tempore paratus est ei dare suum adjutorium ad se convertendum.* Ex quo deindè concludit, omni momento peccatori facile à peccatis recedere, & sese debitè ad Deum convertere.

Adjutorium intelligit proximè & com-

completè ad conversionem sufficiens, ut præter illud opus non sit aliud requirere. Hoc putat sic unicuique omni momento Deum dare paratum, ut id nemini ob præcedentia sua delicta subtrahat. Verùm hebes est, quisquis non videt id ad primum antecedens non consequi. In divinis Scripturis legimus : *In præteritis* *Act.* 14.
generationibus dimissas omnes gentes ingredi v. 15.
vias suas ; nonnullos *dimissos secundùm de-* *Ps.* 80. v.
sideria cordis sui, alios *traditos in passionibus* 13.
ignominiæ, & in reprobum sensum. Alios *Rom. c.* 1.
denique excæcatos & obduratos. Hæc v. 26. 28.
autem dimissio, traditio, excæcatio & *Ibid. c.* 11.
obduratio, sine saltem hujusmodi di- v. 8.
vini auxilii subtractione intelligi non potest. An tamen non omni tempore Deus adimplere paratus fuit, quòd per Prophetam dicit : *Si autem impius egerit* *Ezech* 18.
pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ ope- v. 21.
ratus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium & justitiam ; vitâ vivet, & non morietur. Omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor. Potest itaque Deus & omni momento paratus esse, peccatorem legitimè pœnitentem in gratiam suscipere, & tamen quosdam se deserentes ipse quoque deserere.

Hanc autem suæ ratiocinationis nulli-

tatem, nec ipse Auctor debuit ignoraſſe: & morientes quippè, ut oportet pœnitentes paratus eſt Deus in gratiam recipere. Veriſſimè enim Demetriano dicebat S. Cyprianus: *In iſto adhuc mundo manenti pœnitentia nulla ſera eſt. Patet ad indulgentiam Dei aditus, & quærentibus atque intelligentibus veritatem facilis acceſſus eſt. Tu ſub ipſo licèt exitu & vitæ temporalis occaſu, pro delictis roges, & Deum, qui unus & verus eſt, confeſſione & fide agnitionis ejus implores: venia confitenti datur, & credenti, indulgentia ſalutaris de divina pietate conceditur & ad immortalitem ſub ipsâ morte tranſitur*: confitetur tamen Appendix, & ex Scripturis & Patribus conſtare dicit, plurimis morientium ſub vitæ exitum pœnitentiæ gratiam denegari.

Circa finem

§. I.

Quo ſenſu Deus Gratiæ ſuæ adjutorium ad Converſionem neceſſarium, paratus eſt cuilibet exhibere.

ALio tamen ſenſu inficiari nolim, paratum Deum Gratiæ ſuæ adjutorium ad Converſionem neceſſarium, cuilibet exhibere: nempè legitimè, & ut oportet petenti, quærenti, atque pulſanti:

ſanti. Niſi enim paratus eſſet, non hortaretur ad petendum: ſi tamen, quidquid dare paratus eſt, citò & leviter petenti concederet; pauperis Viduæ, & importuni Amici Parabolis non indiceret nobis orationis inſtantiam & perſeverantiam. Peccator verò adhuc pravis concupiſcentiis deditus converſionem ſuam aut non appetit, aut non niſi infirmo deſiderio, ac per hoc neceſſarium ad illam Dei adjutorium, in ejus bonitate petentibus præparatum, aut non petit, aut non niſi imperfectè; ut jam mirùm minimè ſit, magnum illud pœnitentiæ ac converſionis donum non citò aut facilè ei concedi.

§. II.

Paucos quoſdam Deus extraordinario modo prævenit.

SUbindè quidem peccatoris inquiſitionem prævenit Deus, & mirabili gratiæ ſuæ operatione bonam voluntatem, quâ debitè convertatur, non expectatâ profectûum morâ, ſimul & donat & perficit. Hoc in Matthæo, Latrone, Paulo actum miramur: ſed id ſuperabundantis gratiæ eſt, paucis datæ, quæ niſi

le-

legitimè probetur, data non supponitur.
L. 2. de Voc. gent. c. 11. Multò verò, uti id notat S. Prosper; *crebrior, multòque numerosior pars illa hominum est, cui particulatim, quidquid suprema largitas donat, accrescit, ut conferendorum munerum causa de his quæ sunt collata patiantur.* Ut etenim ex parvis seminum initiis, ordinatis augmentis ad debitam mensuram plantæ, arboresque succrescunt, sic regulariter & animæ requisitam justitiæ perfectionem adipiscuntur. Propter hoc uti annotârunt SS. Patres Basilius, Cyrillus Alex. & Gregorius, hinc à Salvatore adhibita est similitudo: *Sic enim*, inquit, *regnum* Marci 4. v. 26. 27. 28. *Dei, quemadmodùm si homo jaciat sementem in terram, & dormiat, & exurgat nocte & die, & semen germinet, & increscat, dum nescit ille: ultrò enim terra fructificat;* PRIMÙM HERBAM, DEINDE SPICAM, DEINDE PLENUM FRUMENTUM IN SPICA.

Aversum à se peccatorem Deus præoccupat, & gratiæ suæ munere inchoat in illo exordium bonæ voluntatis, ut qui priùs mundi hujus torrentibus omni aviditate inhians, aureo Babylonis calice totus delectabatur; incipiat nunc vel primoribus labris aliquid de justitiæ fonte gustare: quo percepto grata fit illi ejus rectitudo, præsertim quam conspicit aut

credit in aliis: tum deindè in ſe reverſus tortitudinem ſuam quâ ab illa diſtat, videt & improbat. Hæc divini ſeminis cælitùs cordi ejus immiſſi prima pullulatio eſt, quæ magis proficit, cùm accedentibus timoris, pudoris, àc remordentis conſcientiæ ſtimulis, peccator cupiditatibus ſuis jam tentat velle reſiſtere: ſed in principio tentat tantùm, parvum enim tum plerumque atque invalidum eſt velle, cui adhuc vetuſta prævalet cupiditas, cui tamen magis ac magis repugnando tantum decedit, quantum paulatim proficiendo bonæ voluntati accedit: ac tandem iſtis incrementis tanta hæc fit, ut ruptis peccati vinculis, præ omnibus Deo mentem faciat inhærere; hoc eſt debitè converti.

§. III.

Communiter non unius momenti opus eſt, aut levis laboris converſio peccatoris, præcipuè inveterati.

AD hunc autem gradum quamvis alii tardius, alii citius aſcendant, communiter tamen non unius momenti opus eſt aut levis laboris eundem comprehendere. Quantum ſatis eſt, id hactenus monſtravi,

ſtravi; ſed quamvis hæc omnia deficerent, ſufficerent ipſa quotidiana experimenta. Quiſquis enim aut aliquando talis fuit, ſed jam Dei gratiâ correctus; aut ejuſmodi convertendis intendit; ſuo vel alieno experimento veriſſimum agnoſcit illud B. Laurentii Juſtiniani: *O quantis clamoribus introrſùs*, inquit, *quantiſve exhortationibus ſacris excitatur peccator, antequam de morte ſeu ſomno delictorum evigilet! Sed & vigil effectus, ô quot blanditiis, quot rationibus, quot promiſſionibus, quot exemplis, quot pulſatur terroribus, ac flagellis, priuſquam peccandi voluntatem abjiciat, & ſincero animo atque deliberatione conſtanti totus divino mancipetur obſequio! Nec immeritò: tot quippe funibus tenetur aſtrictus, quot ſceleribus prægravabatur, tantiſque ſpiritualibus compeditus eſt vinculis, quantis caducis rebus immoderato inhæret affectu. Captivatur itaque conſuetudine delinquendi: retrahitur à ſenſualitate, quæ pænitentiæ jugo colla ſubjicere recuſat: repellitur ſuaſionibus dæmonum: viſibilium detinetur amore: amicorum & affinium diſſuadetur blanditiis.*

L. 2. ſpirit. reſurr. animæ.



CA-

CAPUT XIII.

An in his sit aperta contradictio: in hac vita nunquam est clausum ostium pœnitentiæ, nec unquam cessat relabendi periculum: & tamen continuus frequensquè relapsus sæpissimè signum est insufficientis prioris conversionis?

AFfirmat Appendix num. 273. Verùm futilis est ista contradictionis objectio. Nunquam pænitentiæ ostium clausum est. Semper quippe hìc potest lapsus peccator legitimè pœnitendo & veniam consequi, & ad justitiam resurgere. Nunquam etiam cessat relabendi periculum, quia hìc, ut dicam cum S. Prospero, *Quantalibet quis excellentiâ sanctitatis emineat, quantalibet eminentiâ perfectionis excellat, potest quidem fieri pro modulo hujus vitæ perfectus: sed non est sic de sua perfectione securus, ut non debeat esse de casu sollicitus.* Sed quid horum non verum est, tametsi continuus frequensque relapsus sæpissimè signum sit, ejusmodi non debitè esse conversos? Quæ ergò hìc aperta est contradictio, ubi nulla est vel apparens repugnantia? Rectè autem docet Manuductio, continuo frequen-

Sive ut alii Iul. Pomer. l. 1. de vita contempl. c. 1.

quentique relapsu suspectam fieri conversionem.

§. I.

Primus gradus recidivorum qui non sunt conversi.

SUnt enim quibus non peccare displicet, sed ardere: ac per hoc non Dei offensam metuunt, sed ejus commissæ supplicium. Per optatum sæpè ejusmodi foret, posse & suis se affectibus ut lubet indulgere, & pœnarum quas metuunt reatu liberari. Illum autem cum pœnitentiæ Sacramento tolli credunt, hoc & ipsi frequentant, commissorum confessionem instituunt, etsi à committendis nondum decernant abstinere, aut mores mutare: quapropter permanent vivere ut vixerunt, & cupiditatibus suis, ut soliti sunt, obsequi. Hos nemo vel dubitando suspicari potest debitè conversos.

§. II.

Secundus gradus recidivorum qui non sunt conversi.

SUnt alii, quos supra tetigi, quibus nonnihil peccatum displicet, ac placet Dei servitus; sed adhuc tenui compla-

placentiâ: quamvis enim justitiæ rectitudinem approbent, eamquè vellent imitari; sic tamen infirma hæc est voluntas, ut mortiferis cupiditatibus deditum animum nondum valeat, ut oportet, indè abstrahere. Ex quo fit, ut, licèt minùs quàm si nec ita imperfectè justitiæ rectitudinem diligerent, sæpè tamen adhuc pravis suis saturandis desideriis obsequantur. Talis fuit Augustinus appropinquans suæ conversioni.

§. III.

Tertius gradus recidivorum non conversorum.

SUnt tertii, ita à gravioribus peccatis aversi, ut optent ab eisdem liberi permanere, nec destinato proposito ejusmodi cogitant committere: tamen grave eis adhuc est & nimium, eorum occasiones & opportunitates devitare, ac necessaria ad præcavendum relapsum remedia assumere; propter quod illum nec præcavent; nec hi, ut oportet, conversi sunt: appetunt quidem justè vivere atque à peccatis recedere, sed sicut nonnulli cupiunt doctrinam assequi, si nempè hæc eis sine studio, sine consuetorum delecta-

ctabilium omissione posset obtingere, Hoc est non plenè aut absolutè velle.

§. IV.

In quo consistat plena seu absoluta voluntas ad conversionem necessaria.

Plenam seu absolutam voluntatem, à semiplena, quam velleitatem dicunt, quâ vult piger & non vult, condistinctam, exactè describit S. Thomas opusc. 16. p. 2. c. 3. quod quia præsenti scopo congruit hîc nolim omittere: *Plenæ autem voluntatis*, inquit, *hæc sunt experimenta: aut enim est respectu habiti, aut respectu habendi? si respectu habendi; quidquid actuali, absolutá & plená voluntate mihi volo, id si possum acquirere, acquiro, & quo plenior voluntas eo amplius quid possum examino, quid possum per me & quid per alium, quid possum viribus, quid ingenio & artibus, quid possum faciliter, quid vix, vel difficiliter. Item si impeditus fuero, doleo, & quo voluntas plenior, amplior & dolor. Idem si adeptus fuero, gaudeo; & plenitudo jucunditatis respondet plenitudini voluntatis. Item ejus oppositum nolo; & ideò si possum effugere, effugio. Quod verò habitum plená voluntate mihi volo, id si possum conservare conservo, & quanto voluntas plenior, tanto solicitudo conservantis diligentior,*

Si tamen ipse ejus auctor sit.

Hoc

Hoc veraciter conversorum est, isto modo à peccatis velle recedere: qui proindè non solùm omnem saltem mortiferi peccati voluntatem deponunt, sed & plenâ, hoc est absolutâ voluntate ejus recidivum statuunt cavere, ac per hoc media, quibus id effici opus est, & sollicitè inquirunt, & fideliter inventa assumunt. Ejusmodi non eâ quâ tres supra positos contingit facilitate relabi.

§. V.

Vera sive plena conversio suos recipit gradus.

INdicat tamen commemorato loco Angelicus Doctor, plenam voluntatem suos suscipere gradus, & aliam aliâ esse pleniorem. Quod omnino verum est, & præsentis rei elucidationi præcipuè inservit. Etenim non eadem est voluntatis plenitudo incipientium & adhuc in Christo parvulorum, quæ est perfectorum. Hi enim justitiæ & bonæ voluntatis provectu, quò minùs creaturis inhærent, eò pleniùs amorem transferunt in creatorem, ac pravam concupiscentiam magis habent debellatam, ut peccatorum in eis desideria nunc minùs quàm in recenti conversione moveantur,

eſt, in quibus non lethaliter delinquitur, ſibi animam facit deſervire. Propter quod merito dicebat S. Iſidorus, *Omnis nova converſio adhuc priſtinæ vitæ habet commixtionem.* Et appoſitè ante ipſum Gregorius: *Unuſquiſquè, qui Deum ſequitur*, ait, *in ipſo ſuo exordio ut locuſta ſuſcitatur: quia etſi in quibuſdam actionibus locuſtarum more flexis poplitibus terræ inhæret: in quibuſdam tamen expanſis alis ſeſe in aëra ſuſpendit. Converſionum quippè initia, bonis moribus maliſque permixta ſunt, dum & nova jam per intentionem agitur, & vetus adhuc ex uſu retinetur. Tantò autem minùs permixtis interim malis lædimur, quantò contra illa quotidiè ſine ceſſatione pugnamus. Nec ſuos nos jam culpa vendicat, cujus pravo uſui noſtra ſollicita mens reſultat.*

Lib. 2. ſent. cap. 8.

Lib. 31. mo. cap. 28.

§. VI.

Converſorum infimi gradus ſunt in majori relabendi periculo.

EA propter bona horum voluntas quâ Deo obedire ſtatuunt, minus plena eſt, minuſquè perfecta quàm priorum. Tantum enim ejus plenitudini detrahitur, quantum adhuc malæ cupiditati conceditur. Hinc autem lubricus horum ſtatus eſt ac facilior ad priora recurſus:

mala enim quæ adhuc in illis vel ex parte vivit concupiſcentia, præſertim dum conſuetarum delectationum recurrunt illecebræ, facilè commoveri poteſt & accendi. Huic quoque tentator noſter invigilat, cujus hæc eſt aſtutia ut *ſingulis hominibus*, ait D. Gregorius, *vitiis convenientibus inſidietur.* Propter quod ut veraciter S. Leo: *Omnium diſcutit conſuetudines, ventilat curas, ſcrutatur affectus: & ibi cauſas quærit nocendi, ubi quemque viderit ſtudioſius occupari.* Quod communiter & ab aliis SS. *a* Baſilio, utroque Iſidoro, *b* Peluſiota & *c* Hiſpalenſi, *d* Thoma, *e* B. Laurentio Juſtiniano, aliiſquè agnitum eſt & aſſertum. Propter quod præ cæteris his incumbit cautè ſe cuſtodire, ſuoquè profectui ſollicitè inſiſtere, ac præcipuè ſuſcipere illam vocem quâ quoſdam ſpiritu promptos ſed carne infirmos monebat Dominus: VIGILATE ET ORATE UT NON INTRETIS IN TENTATIONEM: *ubi ſi vigilando tantum,* ait S. Proſper, *non etiam de orando diſcipulos admoneret, ſolas liberi arbitrii vires videretur hortatus; ſed cum addidit:* ET ORATE: *ſatis docuit ſuperni futurum muneris ut eos etiam vigilantes tentationis procella non vinceret.*

Sed quamvis id jam abſolutâ voluntate ſuſcipiant, ac per hoc incipiant & exequi

L. 29. mor. c. 14. l. 14. cap. 6.
Serm. 7. de nat. cap. 3.
a *Hom. in aliquot ſcriptur. loca.*
b *L. 3. ep. 156.*
c *L. 3. c. 5. nu. 22. 23.*
d *Comm. 1. ep. Theſſal. cap. 3.*
e *Lig. vit. tr. 2. de prid. cap. 3.*
Vide S. Ignat. Loyolam exerc. ſpir. 1. ſept. reg. ad diſc. motus ani. reg. 14.
Matth. 16. 41.
L. 2. de voc. gent. c. 28.

qui (quod enim absolutè vult voluntas, nisi impediatur, & facit) illa tamen illorum voluntas adhuc parva est atque imbecillis, & quæ contrariæ concupiscentiæ pondere, quod in his quàm in prioribus longè est majus, paulatim à suo fervore flaccescit; ut facilè sit, ejusmodi sibi negligentiùs intendere, non eâ quâ priùs sollicitudine Dei adjutorium implorare, peccati opportunitates, maximè sibi speciatim ex sua indispositione solùm vitandas cavere, ac cætera ad se à relapsu continendum & in justitia perseverandum necessaria media adhibere. Propter quod hos longè faciliùs & frequentiùs prioribus contingit iterum vinci & à delicto præoccupari.

Accedit etiam, quod maximè incipientes, dum peccatis resistere atque in Deum converti cœperint, subindè vanè sibi complaceant ac sui putent esse arbitrii, quod divini est muneris, ut dicant *in abundantia sua: non movebor in æternum:* quam vanam sui præfidentiam ut in illis corrigat Deus, avertit faciem suam ab eis, & fiunt conturbati. *Sunt qui pugnare incipiunt*, ait S. Augustinus, *sed quia viribus suis præsumunt, ut ostendat illis Deus, quia ipse vincit; si se homo subjungit Deo, & pugnantes* In Psal. 35.

tes vincuntur, & cum quasi cœperint tenere justitiam, fiunt superbi & eliduntur. Propter
Philip. c. 2. quod ipsis potissimum ingerendum illud Apostoli: *Cum metu & tremore vestram salutem operamini. Quare*, ait idem Augustinus, *cum timore & tremore? subjecit causam:*
In Psal 65. DEUS EST ENIM QUI OPERATUR IN VOBIS ET VELLE ET OPERARI PRO BONA VOLUNTATE. *Si ergo Deus operatur in te, gratiâ Dei bene operaris, non viribus tuis. Ergo si gaudes, time: ne fortè, quod datum est:*
Ser. 94. c. *humili, auferatur superbo. Quia*, ut alibi ait,
3. de temp. *quod impetrat humilis, amittit superbus. Si ergo Deus est qui operatur in nobis, quare dictum est vestram ipsorum salutem operamini? quia sic Deus in nobis operatur ut nos operemur.* ADJUTOR MEUS ESTO. *Designat esse operatorem qui invocat adjutorem.*

Tametsi itaquè omnino cum Angelico
2. 2. q. 14. Doctore asserendum sit, *quod tam in bono*
a. 4. ad 1. *quam in malo, ut in pluribus, proceditur ab imperfecto ad perfectum, prout homo proficit vel in bono vel in malo*, ac propterea nec valde mali fiunt subitò boni, nec valde boni (nisi fortè extraordinariâ ingruente tentatione) subitò mali: tamen hujusmodi incipientes & adhuc in Christo parvuli, nondum in bono longè profecerunt, quia adhuc ex parte vivit in eis quædam ad vetus

pecca-

peccatum inclinatio, ac proindè facilior est & proclivior horum iterum à bono in malum mutatio. Propter quod *incipientes in Ecclesia*, dicebat S. Thomas, *potissimum indigere custodibus, ne Diabolus & malæ tentationes eos invadant, & quasi imbecilles superent.* Et huic coævus S. Bonaventura: *teneræ mentes*, ait, *& à peccati affectu nondum plenè detersæ sæpè magis timore humano quàm divino à voragine peccati detinentur. Ideò talibus expedit superiorum magisterio subjici, per quos à periculo retrahantur, sicut parvuli à matre comminante ab aquæ mersione & luporum morsibus defenduntur.*

1. comm. in cant. c. 3. leg. 2.

Lib. de separ. lis Seraph. cap. 1.

§. VII.

Verè conversi, etsi inferioris gradus, non tam facilè reincidunt quàm non verè conversi.

Est tamen non modicum inter hos & tres supra positos circa relapsum discrimen. Hi enim verè conversi sunt, ac per hoc omnes mortiferos affectus à se excluserunt, ita scilicet, ut jam eis bona voluntas, hoc est juxta a Augustinum & b Bernardum, Dei charitas prædominetur, deindè absolutè quoque sollicitudinem suscipiunt, ut sic possint permanere: ad hanc autem pertinet, bonæ voluntati contra-

Serm. 1. Pentecost.

a Lib. 1. de grat. Christ. cap. 21.

b Serm. 1. Pentecost.

contrariæ concupiſcentiæ pondere paulatim ac ſenſim flaccenti congruis remediis iterum excitandæ intendere, & peccati occaſiones ſibi præſcindere. His autem remotis, non facile eſt hujuſmodi citò ad mortale relabi. Si tamen in aliquo pro ſua adhuc infirmitate præoccupati fuerint, non illico bonæ voluntatis affectum integrè exuunt, & toti ſe pravæ cupiditati addicunt; paulatim id fit, quò pravis ejus deſideriis ſæpiùs ac diutiùs conſentiunt: quo repetito conſenſu illa roboratur & fit valentior, ac magis magiſquè bonæ voluntatis reſiduo animam diſpoliat; atque ita ſenſim difficilior fit eis ad juſtitiam reditus. Cum verò primò lapſi ſunt, pravæ quidem cupiditati ſuccumbentes à Dei charitate receſſerunt; non tamen (ut dictum eſt) omnem ejus affectum depoſuerunt. Quò verò is adhuc major remanet, tantò minus longè ſunt à regno Dei & ſua juſtitia, ac per hoc eò quoque faciliùs eis eſt, Deo excitante & adjuvante cum nondum malo uſu prava cupiditas roborata eſt, atque animo irradicata, rurſum ad juſtitiam tranſire, atque ut oportet reſipiſcere. Tum verò ad cautionem eorum pertinet, ſollicitè ne iſto iterum modo ſuperentur intendere.

His

His ambigi non poteſt, & faciliùs & frequentiùs plerumque relapſum vitari, præ iis quos ſupra dedi nondum debitè converſos. Vivit enim adhuc in ſuperioribus illis peccati voluntas vel in toto uti in primis, vel ſui majori parte uti in ſecundis; ac per hoc adhuc ſervi permanent ejus deſideriis obſequendis & ſaturandis: aut ſi, ut tertii, indè recedere optent; optant tantum, nondum quantum opus eſt volunt, quia grave adhuc eis ac nimium eſt, ad id conſequendum ſollicitum eſſe, ac debitum laborem ſubire. Benè horum ſemitas involutas dicit Gregorius, *ut pravis*, inquit, *concupiſcentiis dediti, aut bona nulla appetant aut appetentes infirmo deſiderio, ad hæc nequaquam mentis liberos greſſus tendant. Recta enim aut non incipiunt, aut in ipſo fracti itinere ad hæc minimè pertingunt. Vnde fit plerumque ut ad morem ſuum laſſati redeant, ſeſeque ab intentione animi in carnis voluptatibus ſternant, ſola quæ tranſeunt cogitent, nulla quæ ſecum permaneant, curent.* *Lib. 7. mor. cap. 17.* Primorum tamen communiter & frequentior & facilior eſt lapſus, quòd hi pleniùs ſecundis & tertiis cupiditatum ſuarum ſervituti ſeſe manciparunt.

§. VIII.

§. VIII.

Frequens relapſus converſionem ut minus valdè reddit ſuſpectam.

MEritò proindè dicit Manuductio, neque ab Appendicis Auctore reprehendi debuit, continuo frequentiquè relapſu ut minùs ambiguam fieri converſionem. Ejuſmodi enim aſſiduè recidivos aliquo horum trium membrorum comprehendi, non ſcrupuloſa formido, ſed ſi non pro humano modo ſemper certa aſſenſio, profectò omnino eſt rationabilis dubitatio. Verendum quippè eſt, ne dum peccatorum ſuorum quaſi pœnitentiam manifeſtant, vel cum primis non eorum affectum deponant, ſed ſolùm quod indè timent malum cupiunt evadere aut cum ſecundis & tertiis ſolùm inchoatè & nondum ſufficienter ab eis ſunt averſi. Propter quod de ejuſmodi dicit R. P. Julius Cæſar Recupitus è Societate Theologus, *tam citus & tam facilis poſt pœnitentiam in eadem gravia peccata relapſus, ſignum eſt quod accedunt cum ficto dolore, & ficto propoſito & quod volunt palliare quodammodo conſcientiam.*

Tract. de num. præd. & reprob. cap. 6.

Erit fortaſſis qui hos illis annumerare volet

volet, quos ſupra verè converſos, ſed ad relabendum adhuc dixi infirmos. Sed eodem (hoc eſt nullo) jure & tres poſitos illis annumeret. Ab his enim omnibus multum diſcreti ſunt, illi nondum ſtabiliter ſed verè converſi: etſi enim ex peccati reliquiis adhuc infirmi ſint; tamen ad præcavendum peccati recidivum ſolliciti, vel Deo adjuvante, & tentationes ſuorum moderante, ipſum præcavent, vel lapſi faciliùs dum citiùs reſurgunt; ac tum infirmitatem ſuam in ejuſmodi caſu experti amplius invigilant ne in illo iterum ſubplantentur. Non horum eſt continuò frequenterque relabi. Sin verò lapſi in ſuo caſu perſiſtunt, & pravæ concupiſcentiæ ſuæ deſideriis magis ac ſæpius obſequendo in priſtinum unde converſi fuerunt, ſtatum revertuntur; non eâ quâ prius facilitate reſipiſcunt, ſed poſteriora plerumquè eis fiunt deteriora prioribus. *Sicut enim in corporalibus*, ait S. Thomas, *nullus ſtatus eſt ita periculoſus ſicut recidivantium, ita in ſpiritualibus, qui poſt gratiam cadit in peccatum, difficiliùs ſurgit ad bonum.* Comm. ep. Heb. c. 6. lect. 1.

Horum quoque recidivorum converſionem multùm ſuſpectam cenſuit R. P. Daniel à Virg. Maria è Carmelitarum

Fami-

Introd. ad Christ. pœn. Proœm. § 2

Familia, cujus verba è Flandrico Latinè interpretata ita sonant. *Quis credere poterit verè te super peccatis tuis conteri, eorum te pœnitere, eis te ex corde renuntiare, ea cavendi firmum te habere propositum, te malle amittere omnia bona & honorem, & omnes pœnas sustinere (quod totum simul requirit vera conversio) quam ad ea iterum reverti, & quod brevi ea iterum reiteres? hoccinè est vere conteri? profectò non arbitror: quis enim te dicet cujuspiam pœnitere quod ilico post iterum perpetras? Nolim tamen negare, aliquem verâ & eâ quâ oportet contritione sua peccata confessum fragilitate humanâ iterum in eadem posse relabi: at dico, dum quis sæpè ac fermè semper de iisdem sese accusans, ilico post iterum ad ea revertitur, id esse admodum verisimile signum non veram ac debitam cum firmo emendationis proposito ejus fuisse contritionem. Vtinam multi Christiani etiam spiritalem vitam profitentes, qui exterius exhibent pietatis speciem, id animadverterent, & in hoc sese emendarent! quot æternæ salutis portus exciperet, qui ob dictam rationem in suis iniquitatibus submerguntur!* Ita ille procemio introductionis ad Christianam pœnitentiam & c. 2. §. 1. præcipuam pœnitentiæ partem dicit contritionem, cujus defectu: *Fit subindè,* inquit, *invalidam esse confessionem & peccatorem damnari: imo sanguineis lachrymis deplorandum*

randum est, id esse multis Christianis commune malum, qui confessione factâ, brevi iterum ad eundem vivendi morem redeunt, UT CANIS REVERSUS AD SUUM VOMITUM, ET SUS LOTA IN VOLUTABRO LUTI. *Fit istud, quia non verè eos peccatorum suorum pœnitet, aut non firmiter ea emendare proponunt, persuasi sufficere se longam Sacerdoti peccatorum suorum historiam narrasse. Vt confiteantur accedunt, & ore peccata sua accusant dicentes: Confiteor me hoc aut illud peccatum fecisse, sed non corde. Non enim ex corde eis renuntiant aut non verè & debitè ea proponunt cavere, eorumquè occasiones vitare.* Hinc conformiter R. P. Franciscus à Puero Jesu ex eadem Familia, multos dicit tepidos ac crudæ conscientiæ Christianos, *qui plurimis,* inquit, *mortalibus peccatis onerati, sic leviter ad confitendum accedunt, debitè sese ad hoc non præparando, nec ad veram contritionem, ac firmum emendationis propositum commovendo. Et hanc ob causam sic facilè in eadem peccata relabuntur, acsi ea non fuissent confessi, nec post confessionem debitè sunt solliciti Sacramenti gratiam conservare. Hujusmodi meritò timere debent confessiones suas esse invalidas, ac per hoc se in perpetuo peccati mortalis statu permanere.* Hos deindè ad salubria media adhortatus pergit iterum: *Hoc si negligant verendum est, ipsos permansuros*

& submergendos in cœno peccatorum suorum, ac perpetuo damnandos. Et ante hos superiori sæculo R. P. Emericus de Bonis è Societate JESU: *Iste continuus*, inquit, *ac multiplex relapsus sine aliqua emendatione, & mutatione vitæ sufficiens est ac certum signum, quod Confessarium dubitare faciat, eos nequidem attritionem, seu imperfectam contritionem habere.*

Lib. citato. Grave est quod hujusmodi passim recidivos communiter reprobos dicit jam memoratus Recupitus: *Omnes ii*, inquit, *qui ita mortaliter peccant ut cadendo & resurgendo vitam transigant, regulariter & juxta leges communes pertinent ad reprobos.* A quo non longè recessit magnus Gregorius, *Lib. 7. mor. cap. 14.* exponens illud c. 6 Job: involutæ sunt semitæ gressuum eorum: *Omne*, inquit, *quod involvitur, in semetipsum replicatur: & sunt nonnulli, qui seducentibus vitiis obviare quasi totâ intentione deliberant, sed irruente tentationis articulo in deliberationis proposito non perdurant. Alius namque pravo usu superbiæ inflatus, cum magna esse præmia humilitatis considerat, adversum semetipsum se erigit, & quasi tumorem turgidi fastus deponit, exhibere se quibuslibet contumeliis humilem promittit: sed cum repente hunc unius injuria verbi pulsaverit; ad consuetam protinus elationem redit, sicque ad tumo-*

tumorem ducitur, ut nequaquam quia humilitatis bonum concupierat, recordetur. Alius avaritiâ æstuans augendis facultatibus anhelat: is cum præterire omnia velociter conspicit, vagantem per concupiscentias mentem figit, decernit jam nihil appetere, & adepta tantummodo sub magni moderaminis fræno possidere, sed cum repente fuerint oculis oblata quæ placeant; in ambitione protinus mens anhelat, semetipsam non capit, adipiscendi hac occasionem quærit, & oblita continentiæ quam secum pepigerat, cogitationum se stimulis per desideria acquisitionis inquietat. Alius luxuriæ tabe polluitur, & longâ jam consuetudine captus tenetur; quanta autem castitatis sit munditia, conspicit, & à carne vinci turpè deprehendit. Restringere ergo voluptatum fluxa deliberat & resultare consuetudini, quasi totũ se viribus parat. Sed vel objectâ oculis specie, vel ad memoriam reductâ, cum subjectâ tentatione concutitur, protinus à pristina præparatione dissipatur, & qui contra hanc clypeum deliberationis erexerat, delectationis jaculo confossus jacet, sicquè eum luxuria enervem superat acsi nulla contra eam tentationis arma præparasset. Alius verò iracundiæ flammis accenditur, ejusque stimulis ad inferendas proximis contumelias effrænatur: cum verò nulla furoris animam occasio pulsat, quanta sit mansuetudinis virtus, quanta patientiæ altitudo considerat, seque etiam contra contumelias patienter

tienter parat: sed cum parva qualibet commotionis occasio nascitur repente ad voces & contumelias medullitus inflammatur, ita ut non solùm ad memoriam patientia promissa non redeat, sed & semetipsam mens & ea quæ loquitur convitia non agnoscat: cumquè furori plenè satisfecerit, quasi post exercitium in tranquillitatem redit: & tunc se ad silentii claustra recolligit, cum linguæ non patientia, sed procacitatis suæ satitfactio frœnum ponit. Vix igitur vel serò post convitia illata se cohibet; quia & à cursu sæpè spumantes equos non præsidentis dextera, sed campi terminus coërcet. BENE ERGO DE REPROBIS DICITUR: *involutæ sunt semitæ gressuum eorum, quia recta quidem deliberando appetunt, sed ad consueta semper mala replicantur, & quasi extra se tensi ad semet ipsos per circuitum redeunt, qui bona quidem cupiunt sed à malis nequaquam recedunt. Esse quippè humiles, sed tamen sine despectu: esse contenti propriis, sed sine necessitate: esse casti, sed sine maceratione corporis: esse patientes, sed sine contumeliis volunt: cumquè adipisci virtutes quærunt, sed labores virtutum fugiunt; quid aliud, quàm exhibere belli certamina in campo nesciunt, & triumphare in urbibus de bello concupiscunt?*

CAPUT XIV.

An & in quibus sit Pœnitenti tam contra se quàm pro se credendum?

CUjusmodi opus sit quantiquè moliminis vera ac debita Peccatoris conversio præcipuèpravis affectibus nonnihil inveterati,ex iis quæ hucusque dicta sunt,quantùm pro suscepto scopo satis est, arbitror patere. Venio nunc ad ea quæ circa Confessariorum praxim movet Appendix ; atque imprimìs num. 269. vult Confessarium teneri credere Pœnitenti non solùm contra se, sed & pro se loquenti, nisi contrarium moraliter certò constet : ex quo concludit quòd sicutì ei creditur dicenti quòd ceciderit, sic ei credendum quoque sit, quòd resurrexerit, seu quòd verè doleat, & proponat se emendare.

Axioma istud : pœnitenti in pœnitentiali foro pro se & contra se esse credendum à S. Thoma, aliisque communiter esse assertum ; quod ut legitimo sensu accipiamus ;

§. I.

Diſcrimen inter Forum Pænitentiæ & alia Tribunalia.

DIſtinguendum eſt Pænitentiæ forum ab aliis exterioris politiæ tribunalibus. Huc enim invitus reus adducitur, ut condemnetur; illuc ſponte ſe ſiſtit, ut liberetur: Hîc ut condemnetur, criminis convinci debet; illic ut liberetur, à crimine ſuo converſus probari: Hîc reo prodeſt; illic obeſt delicti occultatio: Hîc ſatis eſt malefacti notitia quomodocumque manifeſtati; illic neceſſe eſt ipſe peccator ſui ſit accuſator & peccatorum proditor. Ac propterea in his externi fori tribunalibus rei pro ſe nulla reputatur auctoritas, nec illi crimen neganti aut aliter in ſui favorem loquenti creditur, ſed modo quo poteſt veritas inquiritur: in iſto verò Pænitentiæ foro ab ipſo peccatore veritas petitur, & ſi aliud nihil perſuadet, ſincerus ac verax creditur, ſive pro ſe ſive contra ſe dicat.

Fit quidem ſubinde nonnullos hîc Confeſſarium fallere, qui cum pudore aut aliâ non ſufficienti causâ quoddam è gravioribus peccatis ſcienter ſubticeant,

aut

aut ea quæ confitentur adhuc ſtatuant repetere; tamen ut abſolvantur, debitè pænitere ac integrè confiteri ſe ſimulant. Propter quod hæc Confeſſario neceſſaria cautio eſt, ut dum aliquod hujus ſe prodit indicium, penitiùs pænitentis diſpoſitionem examinet. Eſt tamen rariùs hîc dolum ſubeſſe, ac pænitentes fallaciter ſe tegere, ſed ſinceriter eos ſua aperire contingit ut in pluribus.

§. II.

Nec omnium Pænitentium, & præcipuè non in omnibus rebus, eorum eſt æqualis auctoritas.

VErùm tametſi ſuſpecta non ſit pænitentium ſinceritas, tamen ut ipſis credatur, non omnium, nec in omnibus æqualis eſt eorum auctoritas. Quædam magis, quædam minùs cognoſcere & dijudicare ſufficiunt; in nonnullis alicujus momenti non eſt eorum judicium. In his ergò quæ cognoſcere, & dijudicare ſufficiunt, ut ſunt multa peccata, maximè opere completa, ac variæ eorum circumſtantiæ, dum eos leviter nihil oſtendit proceſſiſſe, rectè ipſis & pro ſe & contra ſe creditur: in quibus verò minùs

ſufficiunt, minùs quoque ipſis in hujuſmodi credi debet, ſed magis etiam ad alia quæ concurrunt oportet attendere. Dum verò quædam diſcernere & dijudicare vix aut nullo modo ſufficiunt, à prudentia alienum eſt in iſtiuſmodi multùm eorum judicio deferre.

§. III.

Non in omnibus credendum eſt Pœnitentibus, dum contra ſe loquuntur, ac proinde non mirum quod dum pro ſe loquuntur, non ſemper illis ſit credendum.

IMpertinens eſt an pro ſe, an contra ſe dicant: nam contra ſe dicunt multi ſcrupuloſi, dum in plurimis ſe accuſant, & cogitationibus blaſphemiæ, judicii temerarii, vindictæ, luxuriæ, *&c.* conſenſum ſe præbuiſſe exiſtimant, eò quòd malam ſuggeſtionem ſenſiſſe, judicent conſenſiſſe; item ad ſuſceptionem Sacramenti nunquàm ſe ſatis putant diſpoſitos. In his tamen & ſimilibus nón credit ipſis prudens Confeſſarius, quin potiùs ſingulis attentis, ac cognito eorum ſtatu ac vivendi modo plerumque contrarium judicium format, cui ipſorum quoquè potiùs eſt, quàm proprio credere, quòd iſtâ

ânxietate commoti inepti ſint, qui de ſe & ſibi agendis judicent. Sic è converſo non omnibus credendum eſt, qui ſe pœnitere, atque à peccatis debitè dicunt converſos; ſed prudenter ex aliis ponderandum eſt, quantùm eorum hâc de re judicio deferre oporteat. Cùm enim teſte Apoſtolo, *animalis homo non percipiat ea quæ ſunt Spiritûs Dei*, qui adhuc animales vivunt (vivunt autem, ut notat Auguſtinus, etiam nunc revelatâ novi Teſtamenti gratiâ adhuc plerique) valdè inepti ſunt, ut interiorem conſcientiæ ſuæ ſtatum ſecundùm Dei legem exactè dijudicent. Cui accedit privatus amor quo ſibi quiſque blanditur & mala ſua extenuat. *Hic enim*, ut verè Gregorius, *vehementer claudit oculum cordis*, & facit quod idem alibi dicit: *ut ſæpè ſibi de ſe mens ipſa mentiatur & fingat ſe de bono opere amare, quod non amat, de mundi autem gloria non amare quod amat.* Hic ergò quò adhuc in homine major eſt, ac minùs Dei charitati ſubjectus, eò faciliùs eum facit in ſua de ſe exiſtimatione falli, ut ſe à peccatis receſſiſſe judicet, à quibus non receſſit, & debitè ſe ad Deum converſum, à quo adhuc pro potiori parte manet averſus.

1. Corinth. c. 2. v. 14.

L. 1. de Bapt. c. 15.

Hom. 4. in Ezech.

Paſt. p. 1.

§. IV.

Experientiâ constat plurimùm nocere Pœnitentibus, quòd Confessarii erga illos sint nimis creduli.

PRopter quod non solùm multiplici errori obnoxium est, sed & saluti eorum valdè contrarium, ut se dolere, atque à peccatis debitè se dicunt conversos, ilicò & cæco annutu ipsis Confessarios assentire. Hinc enim dum nonnulli hodiè accuratiùs eos examinant, ac penitiùs ipsorum penetrant conscientias, capitales in eis sæpenumerò deprehendunt defectus, ac multas priorum temporum Confessiones, dum ipsis sic facilè creditum fuit, fuisse invalidas; ac per hoc, dum se dilectos Dei filios, ejusque hæredes putabant, mansisse filios iræ, suæque damnationi obnoxios.

Non paucos reperiunt Mysteriorum Fidei omninò rudes, nescientes à Deo justificari impium per gratiam ipsius, per Redemptionem quæ est in CHRISTO JESU, cùm tamen teste Apostolo, CHRI-
Rom. 3. v. 25. STUS nobis propositus sit *Propitiatio per fidem in Sanguine ipsius.* Nam quòd latam quandam fidem in plerisque faciliùs reperibilem,

ribilem nonnulli hodiè in casu velint sufficere, ut summùm id est ambiguum, cui imprudenter pœnitentium salus committitur. Hîc enim neminem juvabit quæcunque probabilitas, si non ei suffragetur & veritas. Deindè cùm perfectior Fides procul dubio omnibus in præcepto sit; rarum est ejus defectum alicui inter Christianos non esse culpabilem.

Sunt etiam ejus, quâ ad justificationem & debitam Sacramenti susceptionem opus est, præparationis ignari. Hinc vel nullam adferunt, vel satis putant si peccare desinant; aut de cætero meliùs vitam instituere proponant, seu jam instituant; ac præterita delicta, licèt nullâ eorum contritione commoti, confiteantur. Hæc quidem non ad nostra tempora pertinere, putat Appendix: putârunt id & plures alii, sed quorundam inductu hujus periculum facientes ordinariorum quoquè suorum pœnitentium (nec sæculari dignitate fulgentes excipio) ignorantiam obstupuerunt. Hanc in hac sua Diœcesi tot eruditis ac zelosis animarum Directoribus confertâ, à se compertam dixit & deploravit nuper Illustrissimus Mechliniensis Andreas Creusen. Necesse proindè non est, remotio- D. d. an. 1666.

 res

tres partes commemorare, in quibus Minister aut Instructor communiter & rarior est, & imperitior, & quod dolendum est, sæpè muneri suo minùs intentus.

Adde nunc multos conscientiæ suæ incurios, qui licèt novæ vitæ proposito conjungendum sciant veteris odium & detestationem, ac propterea curandum sibi delicta sua reminiscendo sigillatim cognoscere; tamen quia animæ rebus minùs addicti sunt; levem, hoc est, minorem quàm oportet curam, aut insufficientem displicentiam quæ, utì è superioribus patet, mortiferum peccati affectum adhuc sæpè compatitur, facilè judicant sufficere. Item quia sæpè exterioribus occupati interiora minùs attendunt, licèt pœnitere se dicant; tamen examinati dignoscuntur internas cupiditates & maximè complacentias, quibus aliorum peccata approbant, non à se deponere; cùm tamen juxta Apostolum dignì sint morte, *non solùm qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Maximè verò multos falli facilè est circa motivum sui doloris quo eos pœnitet peccasse, non Dei, sed sui solummodò causâ, nempè dum ipsis in suis peccatis non dis-

Rom. 1. v. 32.

plicet

plicet Dei offensa sed malum, quod eis jam supervenit aut superventurum formidant. Talis, hoc est illegitima fuit Antiochi pœnitentia : *Dolebat enim*, ait S. Thomas, *de culpa præterita, non propter Dei offensam, sed propter infirmitatem corporalem quam patiebatur.* Sic pœnituit & Saül, videlicèt ut notat S. Fulgentius, *ex timore supplicii, non ex horrore peccati, non odivit quod fecerat, sed timuit quod nolebat.*

3. p. q. 86. a. 1. ad 1.

L. 2. de pecc. rem. c. 15.

Has ergò aut similes ob causas frequens est multos pœnitentium qui se debitè conversos & pœnitere aut putant aut dicunt, à vera pœnitentia adhuc multùm deficere : ac per hoc Confessarii est non cæco assensu eis annuere, sed quantùm cujusque assertioni hâc in re tribuendum sit ex aliis considerare & ex singulis quæ concurrunt ejus dispositionem dijudicare. Hoc ab eo Sacramenti exigit religio, hoc postulat ipsorum pœnitentium salus. Sacramenti namque exigit religio, ut sollicitè caveat, nè *Sanctum det canibus*, & Sacramentum administret indignis, non solùm uteos arceat, (ut vult Appendix) quos moraliter certò novit indispositos, sed eos tantùm admittat, nisi aliud jubeat justa necessitas, quos prudenter judicat ritè dispositos.

Matth. 7. v. 6.

Soler-

L. 1. de spirit. inter. anima. *Solerter igitur*, ut dicam cum B. Laurentio Justiniano, *Sacramentorum cœlestium dispensator invigilet, ut illum tantummodò solvat, quem introrsus per compunctionem, sivè compunctionis indicium, vivificatum à Deo esse deprehenderit.* Postulat id quoquè ipsorum pœnitentium salus. Huic enim valdè obest sic ipsis facilè credi. Multi enim verè & ut oportet converti, orando & laborando satagerent, sed nunc errore decepti, dum se falsò conversos putant, hanc sollicitudinem deponunt, ac per hoc nec convertuntur, nec salutem adipiscuntur. Comprobat hoc multorum hodiè experientia. Nam plurimi pœnitentium suorum assertione non contenti, dum penitiùs eorum statum inquirunt, generaliter verum reperiunt, quod de iis qui opificiis & publicis exercitationibus incumbunt, Instruct. Past. p 2. c. 18. dicebat S. Carolus: *Si Confessarius posuerit majorem industriam in iis examinandis, non dubium est, quin plures deprehendet, qui nunquàm ut oportuit Sacramento Pœnitentiæ peccata sua expiârint.*

Quapropter ea Confessario necessaria est eruditio, ut Pœnitentium suorum interiora prudenter & discernere valeat & dijudicare: quamque eò oportet esse majorem, quò ad id minùs ipsi pœnitentes

tentes sufficiunt. *Vndè & resurgens à mortuis Dominus*, ait D. Gregorius, & post ipsum B. Laurentius Justinianus, *priùs in Discipulorum faciem insufflavit, & postea dimittendi retinendiquè peccata auctoritatem tribuit: ut profectò monstraret, quia qui illam mentis speculationem non habet, judex animarum esse non debet.* Propter quod Sacramenti hujus dispensatorem S. Bernardus inter alia volebat esse literatum : *ut sciat quid injungat, cui parcat, quando parcere debeat.* Ejus namque ignorantia, ait S. Thomas, *periculosissima est in confessionibus audiendis.* Unde Augustinus *in lib. de pænit. Qui vult confiteri peccata sua ut inveniat gratiam, quærat Sacerdotem scientem ligare & solvere, ne cum negligens circa se exstiterit, negligatur ab illo qui eum misericorditer monet & petit, ne ambo in foveam cadant quam stultus evitare noluerit.*

Lib. 3. c. 5. in l. 1. reg. l. 1. de spir. inter anima.

Serm. 3. in S. Andreæ

Opusc. 34. cont. impug. relig. c. 4. concl. 5.

Verùm Confessario incumbere non cæco annutu pænitentibus credere, sed juxta prudentiæ regulas eorum dispositionem dijudicare, nemo forsan rationabiliter inficiabitur. Tamen dicet quispiam eis assentiendum, dum debitâ circumspectione adhibitâ moraliter certò deprehendi nequeunt indispositi. Hoc fortè est quod solùm prætendit Appendix, dum pœnitenti vult à confessario

credi

credi non solùm contra se, sed etiam pro se loquenti, nisi contrarium moraliter certò constet.

Hoc si sentit, non parum concedit. Satis id est ut redargui possint ii, qui communiter omnes confessionali sedi accedentes, & sese dolere asserentes, sine alia discussione, supponunt legitimè dispositos. Si enim, uti id ministerii eorum exigit ratio, altiùs nonnihil multorum conscientias perpetrarent, non paucos deprehenderent, quemadmodum deprehendunt alii, moraliter certò indispositos.

Sed nec sic ei consentiendum. Quid si enim cunctis consideratis dispositionem pœnitentis Confessarius judicet dubiam, & utrumque contradictorium, quâ dispositus & indispositus asseritur, sit huic æquè verisimile? neutrum moraliter certò constat. In hoc casu prudenter non credet pœnitenti, hoc est, propter ejus assertionem, judicabit eum ritè dispositum. Jam enim unam partem judicando veram determinat. Hoc verò imprudenter facit, nisi sufficienti nixus fundamento; istud verò hîc illi deest. Alia enim ut ponitur, hîc fundamenta non sunt, nisi quæ hinc inde utrumquè contradictorium æqualiter, aut quod idem est, ferè æqualiter

illi

illi faciunt ambiguum; quo u mcum unum certò falsum sit,& alterum certò verum,sine fundamento unum determinatè verum judicat. Cum æquè illi verisimile sit illud esse falsum. Quod de ambiguo dixi, dicendum est & de probabili, in casu enim posito quantumcumquè utraque contradictorii pars sit probabilis, tamen unius determinatæ nec satis constat veritas, nec etiam satis constat falsitas, ac per hoc imprudenter una determinatè vera judicatur.

§. V.

Discrimen inter forum pœnitentiæ & alia tribunalia.

NOtanda nunc est hujus fori ab aliis tribunalibus differentia. In his, ut dictum est, sistitur quispiam ut criminis reus condemnetur; ac per hoc reus probari debet, ut damnationis sententia justè in eum feratur: deficiente verò probatione licèt se innocentem convincentibus argumentis non probet, liber dimittitur. Ad istud verò pœnitentiæ forum accedit peccator ut à peccato conversus ejus vinculo solvatur, ac per hoc conversus probari debet ut solvatur seu absolutionis sententia in eum proferatur.

De-

Deficiente verò hac probatione, licèt contrarium, hoc est, ejus non conversio moraliter certò non constet, nisi aliud cogat necessitas, non est solvendus.

Ex quo patet nullius momenti esse quod objicitur ex S. Thoma dicente 2.2. q. 60. a. 4. *Vbi non apparent manifesta indicia de malitia alicujus, debemus eum ut bonum habere, in meliorem partem interpretando quod dubium est.* Hoc enim ad privatum cujusquè judicium pertinet, quo quisquè æstimandus est probus nisi probetur improbus. Ac per hoc improbitas probari debet, quæ in dubio non probatur ut possit non-probus haberi: hîc verò conversus probari debet ut absolutione judicetur dignus.

§. VI.

Licet aliquando ad cautelam in dubio pejorem partem supponere.

Deindè ad cautelam licet in dubio pejorem partem supponere: & sic ait ibidem ad 3. idem S. Doctor: *Cum debemus aliquibus malis adhibere remedium sive nostris sive alienis, expedit ad hoc ut securius remedium apponatur, quod supponatur id quod est deterius: quia remedium quod est efficax contra majus malum, multò magis est efficax contra mi-*

nus malum. Maximè autem id expedit in hujus Sacramenti administratione. Dubiam enim confitentium resipiscentiam veram reputare, iis qui non resipuerunt valde est damnosum: non veram supponere, omnibus prodest. Prodest non conversis, ut converti satagant, prodest & conversis ut dum dignis pœnitentiæ fructibus certam suam vocationem facere student, perfectiùs convertantur.

Quàm id autem pænitentium saluti conducat, probat multiplex fructus, qui hodie à plurimis hâc ratione percipitur. Multi enim sunt qui cum plures annos, puta decem aut viginti, gravibus criminibus obnoxii vixerant, & assiduè confitendo nec parum fuerant emendati, hâc viâ paucarum hebdomadarum spatio veraciter se correctos mirantur, lætantur, & maximas Conductoribus suis agunt gratias. Hoc erat quod propter quosdam nimium faciles pænitentium receptores dicebat gloriosus Martyr Cyprianus: *Cum scriptum sit*, inquit, *qui vos felices dicunt, in errorem vos mittunt, & semitas pedum vestrorum turbant: qui peccantem blandimentis adulantibus palpat, peccandi fomitem subministrat: nec comprimit delicta ille, sed nutrit. At qui consiliis fortioribus redarguit simul atque instruit fratrem* *L. de lapsis.*

trem, promovet ad ſalutem. Quos diligo, *inquit Dominus*, redarguo & caſtigo. *Sic oportet & Dei Sacerdotem non obſequiis decipientibus fallere, ſed remediis ſalutaribus providere. Imperitus eſt medicus qui tumentes vulnerum ſinus manu parcente contrectat, & in altis receſſibus viſcerum virus incluſum dum ſervat, exaggerat. Aperiendum vulnus eſt & ſecandum, & puteraminibus amputatis medelâ fortiore curandum. Vociferetur & clamet licet, & conqueratur æger impatiens per dolorem, gratias aget poſtmodùm cum ſenſerit ſanitatem.* Id hodie impleri videmus & gaudemus.

CAPUT XV.

Vtrum in adminiſtratione Sacramenti Pænitentiæ, etiam ſecluſâ neceſſitate, liceat uti materiâ dubiâ, aut ſolùm probabili?

DIxi ſuperiori capite, in dubio, pænitenti dum ſe converſum dicit, prudenter non poſſe credi, & per conſequens niſi aliud ſuadeat neceſſitas, neque abſolutionem impendi: quod Theologi confirmant, dum communiter illicitum docent in Sacramentorum adminiſtrationem citra neceſſita-

ſitatem dubiam materiam aſſumere; Adcò ut quamvis eorum plurimi probabilium uſum multùm laxaverint, communiter tamen Sacramentorum uſum exceperint.

§. I.

Diſtinctio inter materiam ſenſibilem & inſenſibilem non probat intentum Appendicis.

Verùm convellere iſtud conatur Appendix, & diſtinctione aliquâ infringere. *Stante dubio*, ait num, 270. *de materia Sacramenti quando ſenſibilis eſt, non poteſt adminiſtrari Sacramentum; concedo: quando materia non eſt ſenſibilis, ſed interna ſeu moralis, nego.*

Sed quo fundamento nixus? Sic enim id negat, ut ècontra materiam non ſenſibilem; ſed internam ſeu moralem etiam dubiam, etiam ſine neceſſitate in Sacramentorum adminiſtratione licitè velit aſſumi. Hoc novum eſt, hoc probet ſe rectè aſſerere. Sacrilegum crimen eſt ſi liquore, qui an aqua ſit ambigis, quempiam baptizes, & non aliquâ compulſus neceſſitate periculo nullum conficiendi Sacramentum te objicis; & rectè factum reputabitur, ſi id facias dum Sacramen-

tum Pænitentiæ ministras? Paradoxum istud ut credatur, non asseri debet, sed probari. Certè universaliter nullâ distinctione adhibitâ Scholastici & Morales Doctores peccatum mortale esse pronuntiant, citra necessitatem in conficiendis Sacramentis uti materiâ aut formâ dubiâ. Cur inde nunc materia non sensibilis sed interna seu moralis excipitur? An hujus dubiæ usu periculo nullitatis Sacramentum minùs exponitur? Si id dici non potest; cur illâ dubiâ uti negatur illicitum, cum ob id, dum materia sensibilis est, hâc dubiâ uti sit illicitum, quòd Sacramentorum religioni contrarium sit citra necessitatem periculo non conficiendi Sacramenti sese exponere?

Subdistinguit inferiùs Appendix dubium in dubium juris & facti. De illo quid sentiat, clarè non exprimit. Vult enim juris dubium esse V. G. an requiratur Attritio ex charitate vel sine charitate, *Tunc cum Attritio*, inquit, *cum charitate sit materia certa, & sine charitate solùm probabilis & dubia, sequitur ex doctrina hujus Auctoris contra decretum Alexandri VII. quòd hâc Minister contentus esse non possit.* An id contra decretum Alexandri VII. sit, sequenti capite examinabitur: nunc quoniam id affir-

affirmat, solùm peto: an ergo in Pœnitentiæ Sacramento, cujus quasi materia sunt actus ipsius pœnitentis, sufficere existimet, etiam nullâ urgente necessitate, uti materiâ ex qua ipsius Sacramenti pendet subsistentia, dubio juris ambigua? Hoc si putat, nullo aut fallaci fundamento nititur. Sed hoc relinquamus.

§. II.

Distinctio inter dubium juris & dubium facti nihil facit ad hanc rem.

CLariùs mentem suam exprimit, dùm dubium est facti: *Si est quæstio facti*, inquit, *V. G. an pœnitens jam de facto habeat veram attritionem, tunc minister debet esse contentus materiâ probabili, nimirum protestatione pœnitentis, quia in hac certa haberi non potest.* Hæc imprimis distinctio non atttenditur dum materia sensibilis est. Hanc enim sive juris sive facti dubio ambiguam ad Sacramentorum confectionem citra necessitatem assumere generaliter est illicitum; ergo & dum illa non sensibilis est, sed interna seu moralis: non enim unum Sacramentum licet & alterum non licet, necessitate seclusâ, nullitatis periculo exponere. Non minus au-

tem hujusmodi periculo exponitur dum facti quàm dum juris est dubium.

- Sed urget Appendix, internam materiam in quæstione facti non posse certam haberi. v. g. an pœnitens de facto habeat veram attritionem. *Tunc*, inquit, *minister debet esse contentus materiâ probabili nimirum protestatione pœnitentis; quia in hoc certa haberi non potest; eò quòd confessarius non possit videre dispositionem cordis ipsius pœnitentis, sed debeat ei credere tam pro quàm contra se loquenti.*

Vult ergo protestationem pœnitentis materiam hîc facere probabilem, nempe hoc uno excepto, uti superiùs dixerat, dum moraliter certò constat contrarium. Sit ergo pœnitens rudis, & ut propriam dispositionem, an ad justificationem sufficiat, dijudicet, imperitus; sit conscientiæ suæ incurius; fuerit hactenus peccatorum consuetudini inveteratus, & eorum voluptatibus toto animi affectu agglutinatus; sit recidivus & cadendi & confitendi vices sine parvo quoque correctionis fructu jam diu alternaverit: quisquis deniquè sit, quæcumque circumstent, unde vel indispositus ostenditur, vel debita ejus dispositio sit ambigua, dummodo ad moralem ejus indis-

positionis certitudinem non ascenditur, satis est juxta Appendicem pænitentis protestatio, ut legitima ejus dispositio judicetur probabilis eâ probabilitate quæ confessario sufficere debet, quâque in omni casu eum oportet esse contentum. Hoc probabiliter dictum non arbitror.

Est quædam negativa probabilitas multis propositionibus conveniens eò quòd convincenti argumento falsæ monstrari non possunt; licèt pro se & sua veritate non habeant positivum alicujus considerationis fundamentum. Hoc modo non paucæ censentur probabiles, non ob aliud quàm quod defendi possint, aut hoc aut isto loco defensæ sint. Ad illam quippe defensionem, satis est oppugnantium argumenta dissolvere, quod fieri potest & ab iis qui pro veritate propositionis defensæ nullum fundamentum habent proferre. Hujusmodi proindè probabilitatis genus certum est ad morum regulam nequaquam sufficere. Nam etiam scholastici Doctores qui præcipuè nuperis temporibus probabilium usum propugnarunt, communiter id ad illa probabilia restringunt, quæ notabili ratione aut gravi authoritate nituntur.

Hanc ipſorum doctrinam nunc non examino: impræſentiarum ſatis eſt, eorum etiam judicio, negativam illam & puræ defenſionis probabilitatem ad morum regulam non ſufficere. Minùs ergo illa eis ſufficeret ad Sacramentorum uſum, cum ad illum non ſatis eſſe cenſuerint ſuum probabile quod pro moribus voluerunt ſufficere.

Hujuſmodi negativam probabilitatem non inficior ex pœnitentis proteſtatione ſufficientiæ ſuæ diſpoſitionis competere; ſcilicet dum ea quæ obſtant morali certitudine non concludunt contrarium. Aſt hoc aliud non eſt, quàm pœnitentem ob ſuam proteſtationem ſic dici poſſe ritè diſpoſitum ut oppoſitum non poſſit certò convinci. Cum ergo hac in re, ut ſæpè dictum eſt, auctoritas ejus haud raro nulliùs aut parvi ſit momenti, & ex variis ſæpe circumſtantiis admodum ſuſpecta; hæc quoque ejus proteſtatio frequenter non eſt grave motivum, ut ob eam ſufficientia ejus diſpoſitionis cenſeri poſſit probabilis eâ probabilitate quæ competere debet propoſitioni ut juxta præfatos Scholaſticos Doctores ad praxim poſſit âſſumi. Cum itaquè omnem pœnitentis proteſtationem, excepto ſolo dum

moraliter certò constat contrarium, velit Appendix confessario debere sufficere; in Sacramentorum administratione asserit licitum quod juxta præcipuos probabilium usûs defensores nec in moribus est concessum.

At pone ejusmodi auctoritatis pœnitentem, ut ejus protestatio per se notabile motivum sit ad quod probabiliter judicari possit ritè dispositus. Nec sic Appendix audienda est, neque generaliter verum est pœnitentis protestatione ministrum debere esse contentum. Quid si enim majoris, æqualis aut fere æqualis ponderis motivum stet pro opposito? Tunc rectè dictâ protestatione (justæ necessitatis casum semper excipio) minister non solùm non debet, sed nec potest esse contentus. In hoc enim concursu ejusmodi motivi contrarii pœnitenti prudenter assentiri non potest, aut eum credere ritè dispositum. Quod sic breviter ostendo.



§. III.

Valdè temerarium (si tamen hoc fieri potest) est assentiri uni contradictoriarum, dum altera est æquè probabilis ac ipsa.

DUorum contradictoriorum alterum certò falsum est, & alterum verum. Deinde constat ex consequentiarum legibus falsum non sequi nisi ex falsò: ac per hoc certumetiam est, fundamentum contradictorii falsi vel falsum esse, vel suum consequens nihil probare. Dum ergò fundamenta quibus utraque contradictorii pars nititur æqualia sunt, aut ferè æqualia, & simul concurrunt, fundamenta alterutrius partis certò cognoscuntur falsa esse, vel nihil probare. Sed quia utraque æquè verisimiliter suam partem probant, ambiguum est quibus id competat, hoc est, quæ ex his fundamentis fallacia sint & deceptoria. De singulis autem particulatim id tam verisimile est quàm oppositum. Sicut autem imprudentiæ est assentiri propositioni, quam non magis quis scit veram esse, quàm falsam; ita quoque prudentiæ esse non potest, assentiri propter fundamentum quod non magis scitur esse non decepto-

ceptorium quàm deceptorium. Ac propterea qualiacumque illa fundamenta ſint, quantumcumque per ſe & ſeorſim accepta gravia, in iſto tamen concurſu neminem movere poſſunt, ut prudenter unam partem veram determinet.

Innumeris exemplis è rebus humanis petitis confirmari id poteſt. Sic in exterioris politiæ tribunalibus V. G. (quibus ſuperiùs Pænitentiæ forum eſt comparatum) ſint Petrus & Joannes teſtes omni exceptione majores, qui à ſe viſum deponunt, Jacobum à Paulo eſſe occiſum. Hæc eorum teſtificatio procul dubio gravis eſt & ſatis, ut verè Jacobus à Paulo credatur occiſus: ſed pone Thomam & Marcum non minoris fidei ex adverſo teſtificari ſe oculatos inſpectores, non à Paulo, ſed ab Andrea Jacobum peremptum; & nihil occurrere ob quod horum poſteriorum teſtimonium prioribus cedere debeat; in hoc concurſu priorum teſtificatio gravis eſſe deſinit, & inſufficiens eſt, ut ob eam verè crimen à Paulo Judex judicet commiſſum. Dico *& nihil occurrere &c.* concurrunt quippe ſubinde aliæ circumſtantiæ, ob quas (uti olim Salomon) unius partis neglecto teſtimonio prudenter alteri quis acquieſcit.

Hæc

Hæc prudentiæ norma & in ſuo pœnitentiæ tribunali confeſſario eſt obſervanda: neminem enim judicando abſolvere poteſt, niſi quem non temerario judicio à peccato ſuo verè judicat converſum, & ejus ut oportet pœnitere. Id autem ob pœnitentis proteſtationem quantumcumquè illa ſeorſim accepta gravis foret, non niſi temerariè judicat, dum majoris aut æqualis ponderis motivum concurrit pro oppoſito. Nam quod dici poſſet, non obſtante hoc concurſu poſſe adhuc pœnitentem judicari probabiliter eſſe converſum & pœnitere, nihil urget. Aliud eſt enim probabiliter & aliud verè eſſe converſum & pœnitere. Vera autem converſio hîc neceſſaria eſt,& vera cordis pœnitentia partialis eſt hujus Sacramenti materia; ac per hoc ad ejus ſuſceptionem pœnitens admitti non poteſt, niſi qui prudenter judicari poteſt verè converſus & verè pœnitere, quod in dicto concurſu, uti evidenter monſtratum eſt, non poteſt.

At dicit Appendix: confeſſarium non poſſe videre diſpoſitionem cordis ipſius pœnitentis,ac propterea debere ei credere tam pro ſe quàm contra ſe loquenti.

§. IV.

§. IV.

Cordis dispositio etsi interna sit, sæpè tamen per signa externa & effectus dignosci potest.

TAmetsi ut cum Hieronymo loquar, *naturæ hominis* non *sit, quamvis sancti, cordis arcana cognoscere; quis enim hominum,* ut ait Apostolus, *scit quæ sunt hominis nisi spiritus hominis qui in ipso est*: Tamen multipliciter sese animus prodit non solùm verbis, sed & aliis suæ affectionis signis & effectibus. Habent quidem verba, ut notat Augustinus, *principatum significandi quæcumquè animo concipiuntur, si ea prodere quisque velit*; ac per hoc, cum id pœnitens, dum aliud non indicatur, velle censetur, multum ejus verbis ac protestationi est deferendum. Verùm hæc arbitraria signa sunt, quibus non raró nunc scienter, nunc ignoranter interiora animi non ut verè sunt contingit enuntiari. Hoc in iis quæ pœnitens dicit, nunc magis nunc minus est metuendum. Quò autem major ejus subest metus, eò ampliùs & alia, quæ animæ affectum indicant, aut quoquomodo ad dijudicandum interiorem ejus statum concurrunt sunt attendenda. Hæc enim dum verbis concordant,

In cap. 14. Ezech.

1. Corinth. c. 2. v. 11.

L. 2. de doct. Chr. cap. 3.

dant, plenam simul cum ipsis efficere possunt probationem, ut simpliciter iis confessario sit acquiescendum: dum autem præjudicant, major est cautio adhibenda.

Si enim ejusmodi sit illud præjudicium, ut omnibus perpensis pœnitentis protestationem justè reddat ambiguam, & de veritate suspectam; jam huic ejus protestationi credi nec debet nec potest. Iterùm dico; parum est si adhuc ea maneat probabilis, cum in hoc concursu, quod tamen necessarium est, prudenter judicari nequeat vera. Propter quod ab hujusmodi pœnitente, nisi aliud jubeat necessitas, merito priusquam absolvatur exigitur, ut dignis pœnitentiæ fructibus, *Vel ut alii* (qui sunt juxta Bonaventuram *delicti correctio*) protestationem suam, ut ei prudenter credi possit, confirmet. Hinc communiter etiam moderni Doctores (uti ex Thoma Sanchez refert & approbat Cardinalis de Lugo) in ejusmodi casu utile censent differre absolutionem per aliquot dies ut appareat correctio, & observatio propositi.

Alanum de insulis lib. de sex alis cherubin ala. 2.

De Sacram. Pœnit. disp. 14. sect. 10. num. 166.

§. V.

§. V.

Non requiritur circa pænitentis diſpoſitionem illa certitudo quæ communiter neceſſaria eſt, dum materia eſt ſenſibilis.

HOc tamen nunc Appendici conceſſerim, debitam pœnitentis diſpoſitionem communiter non eâ certitudine quâ conſtat materia ſenſibilis à confeſſario poſſe cognoſci; ac per hoc nec ejuſmodi certitudo illi ut neceſſaria eſt exſpectanda: ſed ex iis quibus ſe ſuumquè animum pœnitens pandit, & aliis quæ concurrunt circumſtantiis, ejus diſpoſitio eſt colligenda. Et quamvis hæc ſingula ſeorſim accepta exigui nonnunquam ponderis ſint, tamen ſimul accepta tale ſæpè efficiunt argumentum, ut illi prudenter Confeſſarius acquieſcat, & abſolutè pœnitentem judicet ritè diſpoſitum. Ut autem acquieſcat, non tale neceſſe eſt hoc ſit argumentum ut ſemper & ubique concludat, ſed ſatis eſt, quòd ex illo conſequens ſequatur juxta moralis prudentiæ certitudinem, quamvis abſolutè poſſit non ſequi, imo etiam quandoquè non ſequatur. Hoc, inquam, ſufficit dum ex aliis non oſtenditur hîc

&

& nunc deficere. Cum enim vel interdum & in paucioribus deficere possit, hæc necessaria est cautio, ut attendatur an nihil occurrat quo hîc & nunc probetur deficere, dum nihil occurrit quod communiter verum est in moralibus sequi, secùs si occurrat. Hæc est in humanis rebus prudentium praxis. In judiciis enim, ut dictum est, quod & lex confirmat & Apostolus, in ore duorum vel trium testium stat omne verbum, & eorum testimonio, dum illi nihil obstat, simpliciter & absolutè judex acquiescit, quia in pluribus id tum verum est. Potest tamen deficere aut fallere, & fallit interdum. Ad quod proindè circumspectè opus est attendi; & quò majus fallaciæ aut falsitatis subest indicium, minùs eorum testimonio licet deferre. Et sic interdum non sufficiunt mille testes qui se oculatos dicunt & factum deponunt, nempe dum æqualis ponderis motivum, v. g. alii testes ejusdem numeri, ejusdemquè fidei, stat pro opposito, cum tamen aliàs satis sint duo.

§. VI.

§. VI.

Ex dictis patet quæ sit illa moralis certitudo quæ in hac materia exigitur.

HÆc est, quæ dici solet moralis certitudo, & unicuiquè de se suaquè justitia est necessaria, ut juxta Apostoli præceptum dignum se probet qui de Eucharistico pane edat, aut de calice bibat. Adeò ut confessio illi sit præmittenda, qui, uti id notat Parochorum Catechismus, justè vel veretur oppositum: veretur, inquam, hoc est, ex digno motivo rationibus quibus se justum confidat non acquiescit. Est quippe generalis quidam metus, etiam sanctis in hac vita communis, quod nesciant *utrum amore an odio digni sint.* Nam quamvis spiritus reddat testimonium spiritui eorum quod sint Filii Dei, propter quod meritò confidunt, sic tamen id moderatur *silens in dilectione sua*, ut omnis contrarius metus plerumquè non possit nec debeat deponi. Hoc ipsis expedire novit ille qui nos vult *servire* sibi *in timore & exultare cum tremore.* Hic tamen generalis est metus morali certitudini non officiens. Nam dum, hoc excepto, aliud non occurrit ob quod de sua justitia

1. Corinth. c. 11. v. 28.

P. 2. de Sacram. pœnit. num. 59.

Eccles. 9.

Rom. 8. v. 16.

Sophonia c. 3. v. 17.

justitia ambigere quis debet, sed potiùs cuncta suadent oppositum, prudenter se justum reputat, & illi absolutè acquiescit, ea sine scrupulosa formidine perficiens, quæ non nisi à justis perfici possunt.

Hoc etiam modo, dum ea quibus pœnitentiam suam ac conversionem manifestat pœnitens, & cætera quæ concurrunt, ritè eum persuadent dispositum, & nihil consideratione dignum sit pro opposito, aut quòd illa suspecta faciat vel ambigua, prudenter confessarius acquiescit, & eum debitè reputat dispositum. Et quamvis reflexo intellectu hæc omnia adhuc judicat posse deficere, tamen istius defectûs dùm nullum alicujus momenti aut ponderis indicium ostenditur, non propterea mentem suspendere debet, sed simpliciter & absolutè, hoc non obstante, debitam ejus dispositionem concludere. Hæc est certitudo hac in re communiter haberi possibilis, ac per hoc censenda est sufficere. *Nam sicut optimè dictum videtur*, ait Boëthius, *eruditi est hominis unumquodquè ut ipsum est, ita de eo fidem capere atque tentare.* Quod explanans Angelicus Doctor. *Sicut optimè*, inquit, *dictum videtur ab Aristotele in principio Ethicorum, eruditi*

L. 1. de Trinit. cap. 2.

Comm. ejusdem capiti.

diti hominis est unumquodque ut ipsum est, id est per modum congruum ipsius rei, ita de eo fidem capere atque tentare. Non enim de omnibus potest æqualis certitudo & evidentia demonstrationis servari, & sunt hæc verba Philosoph: 2. Ethic. Disciplinati enim est in tantum certitudinem inquirere circa unumquodque genus, in quantum natura rei recipit.

§. VII.

Hactenus dicta intelliguntur justâ necessitate exceptâ.

HActenus justam semper excepi necessitatem, sed quid eâ sepositâ faciendum sit, pro viribus quas Deus dedit, conatus fui exponere. Inquiri nunc dignum foret, quæ sit justa illa necessitas, & quomodo ob eam quæ hîc frequentior est, & suos gradus suscipit, hujus Sacramenti ministrationem oporteat moderari. Verùm dumtaxat nunc Appendici respondere constitui: quæ autem ob id hucusque protuli, priora sunt, neque inde dependent, & circa hæc adhuc fervet contentio, quam, eorum veritate manifestatâ & utrimque receptâ, optarim finiri. Tum quippe concordibus animis & studiis ad alia quæ particularia magis

ſunt, ac per hoc determinatu plerumque difficiliora, ſecuriùs licebit deſcendere. Hoc unum nunc dico: hujus ſicut & aliorum Sacramentorum finis animarum eſt ſalus, cui proinde eorum adminiſtratio debet congruere, & ex qua hæc neceſſitas præcipuè eſt metienda, ſic ut potiùs nullitatis periculo Sacramentum, quàm ſalutis diſcrimini anima exponatur.

CAPUT XVI.

An juxta Decretum Alexandri VII. in adminiſtratione Sacramenti Pænitentiæ Confeſſarius contentus eſſe debeat attritione, ſine omni Dei propter ſe dilectione concepta?

HOc eodem numero 270. ut vidimus ſuperiori capite, dubium juris vult eſſe Appendix: *An requiratur Attritio ex charitate, vel ſine charitate, tunc cum attritio*, inquit, *cum charitate ſit materia certa, & ſine charitate ſolùm probabilis & dubia, ſequitur ex doctrina hujus Auctoris contra Decretum Alexandri VII. quòd hac Miniſter contentus eſſe non poſſit.*

Quodnam hoc ſit decretum, aliud cogitare non potui, quàm illud ab eodem

Ponti-

Pontifice datum Feriâ 5. die 5. Maii, Anno 1667. quo ad servandum pacis vinculum, quam propter quorundam hinc inde contentiones circa hujus Attritionis sufficientiam verebatur conturbandam: *Præcipit cunctis & singulis Fidelibus, quocumque gradu ac dignitate etiam Episcopali & majori, imo & Cardinalitiâ fulgentibus, ut si deinceps de materia Attritionis præfatæ scribent vel libros aut scripturas edent, vel docebunt, vel prædicabunt, vel alio quovis modo pœnitentes aut Scholares cæterosquè erudient, non audeant alicujus Theologicæ censuræ alteriusque injuriæ aut contumeliæ notâ taxare alterutram sententiam, sive negantem necessitatem aliqualis dilectionis Dei in præfata Attritione ex metu gehennæ concepta, quæ hodie inter Scholasticos communior videtur, sive asserentem dictæ dilectionis necessitatem, donec ab hac Sanctâ Sede fuerit aliquid in hac re definitum.*

Hic est Decreti tenor, quo id, quod nunc asserit Appendix, nec apparenter statuitur. Alia est enim quæstio, an dicta Attritio ad Pænitentiæ Sacramentum ejusque effectûs perceptionem sufficiens sit dispositio, & alia, quid suppositâ hac de re Doctorum controversiâ, illi cui utraque contradictionis pars dubia est sit agendum. Prior jam pridem agitari

cœpta eſt, nec adhuc hodie lis eſt finita. De hac quæſtione agit Pontifex, eamque vult ſalvo pacis vinculo inquiri, ac propterea hoc ſuo Decreto alterutrius contradictorii propugnatores ſic ſingulos ſuam partem verbo ſeu ſcripto defendere, ut tamen oppoſitam partem ejuſque defenſores non aliquâ Theologicâ cenſurâ aut alterius taxent notâ contumeliæ. Quid verò durante hac controverſiâ unicuique circa pænitentiæ Sacramenti miniſterium agendum ſit, hoc eſt, an dictâ Attritione nunc, pendente adhuc lite, hujus Sacramenti Miniſter contentus eſſe poſſit aut debeat; (quod poſterior petit quæſtio) non attingit, tantùm abeſt ut de eo aliquid determinet.

Neque etiam ex iis quæ hîc conſtituit, miniſtrum id poſſe aut debere, licet inferre; tametſi enim, quod hîc ſolùm conſtituit Pontifex, jam cuique liceat impunè ſuam partem defendere, hæc tamen conceſſa impunitas utrique parti æqualiter attributa fundamentum non eſt, ut quiſque ſuam partem reputet veram, ſed manet cujuſque partis veritas aut falſitas ut prius, hoc eſt, dubia vel probabilis aut etiam certa. Dico *aut etiam certa*, ſi quis enim particulatim attentis utriuſque

partis

partis fundamentis (ut id possibile est) unius veritatem alteriusque falsitatem deprehendisset, hac constitutione non constringitur judicium mutare, aut de percepta veritate ambigere: satis est si oppositam sibi sententiam non alicujus Theologicæ censuræ alteriusque injuriæ notâ taxet, aut contumeliæ.

Quin & eandem quodam loquendi modo probabilem reputare debet, nempe generali illâ probabilitate, quâ omnes propositiones in Catholicorum libris passim permissæ censentur probabiles, ut eo modo propositio probabilis aliud non sit quàm communiter edi & defendi permissa. Hoc genus probabilitatis compatitur secum certitudinem de opposito, neque, quod certissimum est, ad morum regulam sufficit, & multò minus ad Sacramentorum administrationem. Hanc solùm isto suo decreto dictæ attritioni tribuit Pontifex; ex quo proindè nequaquam deduci potest, eâdem nunc pœnitentiæ Sacramenti ministrum posse aut debere esse contentum.

§. I.

Variis SS. PP. testimoniis probatur necessitas dilectionis Dei ad justificationem.

AN verò præterea ex aliis fundamentis, non major illi competat probabilitas, nunc non disquiro: satis est fundamenta illa non sic concludere, quin adhuc sufficientia dictæ attritionis, ut hîc concedit Appendix, ut summum sit dubia. Cæterum, si, quid hac in re verum judicem, promendum foret; dicerem cum Joanne Trithemio: *Deus est summum & immutabile bonum, cujus amore peccatum & fugiendum est & detestandum: quoniam qui timore pœnarum dumtaxat peccare metuit, ad charitatis præmia non ascendit.* Dicerem cum B. Laurentio Justiniano: *Quamdiu quis metu temporalis supplicii seu æterni serviliter vivit à filiorum Dei segregatus est sorte.* Dicerem cum subtili Scoto: *Quod non quicumque actus pœnitendi sufficit ad deletionem peccati, sed oportet quod sit actus ordinatus & maximè ex circumstantia finis, quæ est prima inter circumstantias actus moralis:* Ac propterea censet Judam non legitimè pœnituisse, quia *non pœnituit*, inquit, *cum ista circumstantia, id est, ex dilectione Dei.* Dicerem cum

Serm. 5. exhort. ad monach.

Lib. 2. de spir. animæ resurr.

In 4. dist. 14. q. 1. ad arg. 3.

S. Ca-

S. Catharina Senensi, quod ipsa inducit Deum dicentem: *Attende quia nullo modo sufficit ambulare solummodo cum servili timore, quia purgare domum à spurcitia peccati mortalis, non implendo virtutibus eam in amore fundatis, & non tantum in timore, non sufficit ad vitam æternam:* Et iterùm, *attende diligenter istos, qui cum servili timore dereliquerunt mortalium peccatorum abominationes, nisi surgant atque procedant cum amore virtutum: iste servilis timor ad vitam æternam exhibendam nullo modo sufficit: amor verò cum sancto timore benè sufficiens est.*

Tract. 1. cap. 49.

Ibid. c. 58.

Dicerem cum S. Bonaventura: *Timor dicitur servilis, quo quis magis timet pœnam quàm culpam: qui secundum essentiam dicitur esse à Deo, non tamen sub ratione quâ servilis est, quia principaliùs timet pœnam, quàm culpam, nec mutat voluntatem in bonum, licèt criminis impediat executionem.* Propter quod dicit alibi: *Est autem timor servilis cum quis ut servus dimittit malum facere non propter dilectionem, sed propter pœnæ timorem.* Hic *timor semper cum mortali peccato est, scilicet cum quis dimittit peccatum facere solummodo ratione pœnæ.* Dicerem cum S. Thoma: non esse pœnitentiam veram, dum *aliquis pœnitet non propter amorem justitiæ sed propter timorem pœnæ vel damni temporalis.* Hinc uti

De 7. donis Spir. Sanct. de dono timoris c. 1.

Spec. animæ cap. 3.

Comm. epist. Heb. c. 12. lec. 3. Ibid. in c. 1. lec. 4.

Serm. de dilig. Deo. superius dixerat: *Non est justus qui non amat justitiam.* Dicerem cum S. Bernardo: Deum cum vellet hominem à se prolapsum revocare, nec gehennæ comminatione, nec æternæ vitæ promissione profecisse, donec Incarnato filio eum faceret sui amatorem. Quia videlicet ut alibi a *Epist.* 11. ait: a Sola charitas est; *quæ ab amore sui & mundi avertere possit animum, & in Deum* b *Serm.* 5. *in oct. Pasc.* *dirigere*; b *sola castificat* animum, *sola purgat intentionem*, c *sola* denique *accendit ad salu-* c *Serm. in nativ. S. Ioannis Bapt.* *tem.* Dicerem cum Haymone: *nullus rectus est, nisi qui te* (Deus) *diligit.* Dice- *Com. in conf. cap.* 1. rem cum Gregorio: *In conspectu tuo justus esse non valet qui tibi non per dilectionem, sed per formidinem servit.* Dicerem cum Prospero.

L. 11. *mor. cap.* 22. *Epig.* 43.

Nullus enim est insons solâ formidine pœnæ,
Qui sanctum & justum non amat imperium.

Nam uti habet in sententiis ex Augustino excerptis sent. 172. quod sub nomine Ambrosii epist. 258. refert & probat S. Bernardus: *Nibil prodest spiritus* *Serm.* 7. *de jejun.* 7. *mens* *timoris, ubi non est spiritus charitatis.* Dicerem cum S. Leone: tantam esse sub Dei & proximi edicto utriusquè copulam Testamenti, *ut sine istarum connexione virtutum, nec lex quemquam inveniatur justificasse nec gratia.* Dicerem deniquè cum Augu-

stino, sine Dei gratia quâ charitas Dei diffunditur in cordibus nostris, omnino nihil boni quod ad pietatem pertinet veramquè justitiam, à nobis fieri; ac per hoc sine illa non haberi bonum animæ motum, sine quo cuiquam pœnitentiæ Sacramentum gratiam conferre, nunquam, uti hujus testes sunt Tridentini Patres, Ecclesia Dei docuit aut sensit.

Lib. 1. de gratia Christi cap. 26.

Sess. 14. cap. 4.

§. II.

Ex ipsa Philosophia probatur, quòd solus pœnæ timor hîc non sufficiat.

IGnosce Lector, si ut id exponam, nonnihil à scopo divertero: convenire id arbitror, ne quis putet, uti jam dici cœptum est, pro servili Attritione conclusum esse. Itaque à fundamentis rem proferam. Animæ motuum principium, uti [a] Augustinus, [b] Thomas, [c] Bonaventura, [d] Scotus ac vera tradit Philosophia, est amor. Hic alius est naturaliter homini inditus, alius naturali superadditus. Naturali amore homo se diligit ac proprium bonum, vocaturque à S. Anselmo, voluntas commodi; à S. Thoma, amor beatitudinis, quo nempe quisque beatus ac felix esse appetit refugitque miseriam

a *Lib. 13. conf. cap. 9. epist. 89. q. 1. l. 11. de civit. c. 28.*
b *1. p. q. 20 a. 1. 2. 2. q. 17. a. 8. & ad 2. l. 1. con gent. c. 91. comm. ep. 2. ad Corinth. c. 7. lect. 3.*
c *Brevil. p. 5. cap. 8.*
d *Lib. 1. dist. 1. q. 5.*

ſeriam, & uti ſæpius tradit Auguſtinus, immobiliter naturæ eſt inſertus. Ex hoc naturali amore *cauſantur*, ait S. Thomas *omnes aliæ voluntates*, nempe, ut id poſtea limitat, non ſupernaturales. Hinc quod communiter notant [a] Albertus Magnus; [b] Bonaventura, Thaulerus, Thomas à Kempis aliique ſpiritualis vitæ tractatores; natura niſi Dei gratiâ ſupra ſe fuerit elevata, in omnibus ſuis motibus ſemper eſt ad ſe ipſam reflexa; quia cum nihil velit, niſi ex illo propriæ beatitudinis ſeu felicitatis amore in omnibus quæ amat, aut appetit, averſatur aut fugit; ultimatè proprium bonum attendit & proſequitur; ac propterea quantum ad ea quæ naturaliter volumus, veriſſimè dixit S. Thomas: *Vtimur factis à nobis propter nos, & ſi aliquid aliquando propter alium homo faciat, hoc refertur in bonum ſuum vel utile, vel delectabile, vel honeſtum.* Sicut autem naturæ noſtræ auctor eſt Deus, ita & ejus naturalis amoris, qui proinde ex ſe malus non eſt, ſed potiùs in ſuo genere bonus: *Illa verò voluntas*, ait S. Anſelmus, *quæ eſt ad volendum commodum, non ſemper eſt mala, ſed quando conſentit carni concupiſcenti adverſus ſpiritum.*

1. p. q. 60. a. 2.

a Lib. de parad. anim. cap. 1.

b Brevil. p. 5. cap. 2.

L. 3. con. gent. cap. 17 num. 7.

Lib. de conc. grat. & lib. arb.

Non hæc tamen eſt voluntas quâ rectè vivimus, aut bonum aliquod ut expedit,

eligimus: *Incommutabilis*, ait S. Auguſtin. *cum qua homo creatus eſt, & creatur, illa libertas eſt voluntatis, quâ beati omnes eſſe volumus & nolle non poſſumus ſed hæc ut beatus ſit quiſque non ſufficit, nec ut rectè vivat, per quod beatus eſt; quia non ita eſt homini congenita libertas immutabilis voluntatis quâ velit poſſitque benè agere, ſicut congenita eſt, quia velit beatus eſſe, quod omnes volunt & qui rectè agere nolunt.* Hanc enim libertatem, hoc eſt, benè agendi poſſibilitatem, ſive ut alibi dicit, vires agendæ perficiendæque juſtitiæ in Adæ prævaricatione perdidimus, nec niſi Chriſti Mediatoris noſtri gratiâ recipimus, ſine qua nunc per naturæ vigorem, uti definit 2. Arauſicana Synodus; bonum aliquod quod ad ſalutem pertinet vitæ æternæ, nemo poteſt cogitare ut expedit aut eligere, ac per hoc ut jam ad Deum ſeſe homo ſicut oportet convertat, ſatis non eſt ille naturalis amor; imo neque ut debitè velit vel à Deo converti; hoc enim (uti ſuperiùs vidimus) Semipelagianum virus eſt, non ſic in illa prima transgreſſione voluntatem noſtram eſſe depravatam, quin adhuc poſſit vel debeat ſe velle ſanari.

Lib. 6. cont. 2. resp. Iul. cap. 12.

L. de geſtis Pelag. c. 9.

Can. 7.


Hinc meritò S. Proſper: *Homo mortalis*, ait, *damnatâ in Adam origine carnaliter natus*,

Hilarius ad Auguſt.

L. 1. de voc. ad gent. cap.

ad spiritualem novi generis dignitatem, nisi Spiritu Sancto regente non pervenit; sed nec ullo hanc desiderio appetit, qui calorem ipsius desiderii non accepit à Deo, de quo dicit Dominus: IGNEM VENI MITTERE IN TERRAM, ET QUID VOLO NISI UT ARDEAT?

2.2.q.24. a. 7. *Ignis autem iste dilectio est Dei.* Hæc est alius amor qui naturali Dei gratiâ superadditur, & uti notat S. Thomas, est participatio quædam infinitæ charitatis, quæ est Spiritus Sanctus. Hac homo suprà se & naturæ suæ motum elevatur, & in Deum erigitur, eumque castè, hoc est, propter se diligit. Vocatur à S. Anselmo voluntas, item affectus rectitudinis; ab Augustino, amor justitiæ, nempè supremæ omnium rectorum & justorum regulæ, hoc est Dei; *In ipso quippe*,
L.8.de trin. cap. 9. ut idem ait, *conspicimus incommutabilem formam justitiæ; secundùm quam hominem vivere oportere judicamus*, quam cum diligimus, Deum diligimus, quâ dilectione cum ad ejus normam vitam componimus, justè vivimus.



§. III.

§. III.

Duo amores duo sunt fontes ex quibus omnis nostra affectio derivatur.

SIcut autem ex illo naturali beatitudinis amore, uti dictum est, causantur omnes aliæ voluntates; nempe naturales, ita ex hoc Dei seu justitiæ amore nascitur omnis voluntas supernaturalis; adeò ut hi duo amores duo sint fontes ac duæ radices ex quibus omnis nostra alia affectio seu animi motus exoritur. *Nihil vult voluntas, quæ est instrumentum*, ait S. Anselmus, *nisi aut commoditatem aut rectitudinem: quidquid enim aliud, aut propter commoditatem aut propter rectitudinem vult.* Propter quod ex his duabus affectionibus procedere dicit merita hominum sive ad salutem, sive ad damnationem. Amor naturalis est affectus naturæ, & ut loquitur Albertus Magnus, *Semper se super se ipsum reflectit, & proprium suum commodum quærit.* Alter amor affectus est gratiæ, & in omnibus Deum quærit & intendit. Hinc est illud famosum inter naturæ & gratiæ motus discrimen de quo alicubi Thaulerus: *Amor divinus*, inquit, *& naturalis in externis actibus simillimi sunt, quemadmodum duo pili capitis unius, sed*

Lib. de conc. grat. & lib. arb.

L. de parad. animæ c. 1.

Serm. 2. in dom. quad.

sed intentio intùs planè dissimilis est. Spiritus bonus & amor divinus corde sursum erecto ac tendente palam & in occulto, non nisi Dei gloriam semper intendit, quærit, appetitquè: Amor verò naturalis seipsum jugiter spectat & amat. Cui conformiter Thomas à Kempis opusculo de Imitatione Christi, jure uti ait Bellarminus, in tota Ecclesia summo omnium consensu, recepto & frequentato: *Natura callida est*, inquit, *& multos trahit, illaqueat & decipit, & se semper pro fine habet: sed gratia simpliciter ambulat, & ab omni specie mala declinat; fallacias non prætendit, & omnia purè propter Deum agit, in quo & finaliter requiescit.*

L. de script. Eccl in gers. L. 3. c. 54. lege totum.

Uti autem hominem Deo subjici necesse est, ita & istum naturæ appetitum gratiæ affectui oportet subesse, ab eoque regi, & ad debitum finem, hoc est Deum dirigi. Hinc Deus cum hominem à se factum utroque amore donaret, simul condens naturam, & largiens gratiam; sic ait S. Anselmus: *Ordinavit has duas voluntates, sive affectiones, ut voluntas, quæ est instrumentum uteretur eâ quæ est justitia ad imperium & regnum, & altera uteretur ad obedientiam sine omni incommoditate:* Ut proinde homo sic institutus sit, ut justitiæ affectu quo Deo inhæreret, naturæ ap-

Lib. cit.

petitum regeret, & juxta justitiæ leges moderaretur, ejusque motus in Deum ut finem referret. Cum enim naturæ appetitus, ut dictum est, omnia velit & agat propter se, aliud non est omnem naturæ motum in Deum dirigere quàm justitiæ affectu Deum in quem se ordinat, ut finem diligere: nam ut rectè S. Thomas, *Cum aliquis se ipsum ordinat in Deum sicut in finem, in omnibus quæ propter se ipsum facit, manet virtute intentio ultimi finis.* *q. q. disp. q. uni. de cha. a. 11. ad 2.* Hinc ex illa prima hominis institutione debet quisque, sicut ejus nos commonefacit Apostolus, sive manducet, sive bibat, sive aliud quid faciat, omnia in gloriam Dei facere. *De char. a. 11. eod. 2.* *1. Corinth. c. 10. v. 31.*

Illo itaquè justitiæ affectu jam opus est, ut homo rectè, hoc est, sicut ex sua institutione debet, per naturæ appetitum quidquam velit aut operetur. Hinc amisso per peccatum justitiæ affectu, de appetitu naturæ loquitur S. Anselmus, *Voluntas etiam commodi condita bona in quantum est aliquid, mala, id est injusta facta est, quia non est subjecta justitiæ, sine qua nihil velle debet.* Et paulò post: *Quapropter cum nihil velle debeat nisi justè, quidquid vult sine rectitudine, vult injustè.* Tametsi enim volitioni ejus alia inordinatio non inesset, hoc con- *Lib. cit.*

tra.

tra Dei institutionem est, ac per hoc injustum, quòd in illa homo se sistat, & non per justitiæ amorem ad altiorem finem eam dirigat. Ex illo proinde justitiæ seu Dei amore adest homini potestas benè & sicut oportet operandi, quam perdidit, *Cum*, ut loquitur Gregorius, *seductoris verba audiens, à Conditoris amore discessit*. Propter quod à Cælestino Papa dictum est: *in prævaricatione Adæ omnes homines naturalem possibilitatem & innocentiam perdidisse*. Quia nempè justitiam Deique amorem, quo donatus fuerat, sibi & nobis omnibus peccando amisit. Quo amisso per naturæ vigorem bonum aliquod opus sicut oportet aut expedit, non solùm perficere non possumus, sed nec incipere.

Lib. 8. mor. cap. 14.

Epist. pro Prosp. & Hilar. c. 4.

§. IV.

In quo S. Augustinus & alii contra Pelagianos præcipuè vim fecerunt.

HÆc ergò benè operandi potestas homini redditur, in quantùm per CHRISTI Mediatoris nostri gratiam, amissa justitiæ dilectio ei restituitur. Hoc quia Dei per CHRISTUM gratiâ in nobis fieri necesse est, sicut sine ista dilectione

ita

ita & ſine CHRISTI Salvatoris noſtri gratiâ nil bene velle poſſumus aut operari. Hinc Patres Carthaginenſes & Milevitani Concilii, ut adversùs Pelagianos probent divinæ gratiæ neceſſitatem, aliud non aſſumunt teſtimonium, quàm illud Joannis: *Charitas ex Deo eſt*: quam eorum doctrinam approbat & ut propriam Apoſtolicæ Sedis amplectitur Papa Cæleſtinus. Imò hinc ſummam conſtitiſſe conflictûs memorat Auguſtinus: *Vnde eſt*, inquit, *in hominibus charitas Dei & proximi, niſi ex ipſo Deo? Nam ſi non ex Deo ſed ex hominibus, vicerunt Pelagiani; ſi autem ex Deo, vicimus Pelagianos. Sedeat ergò inter nos Judex Apoſtolus Joannes & dicat nobis:* CHARISSIMI DILIGAMUS INVICEM: *In his verbis Joannis cum ſe illi extollere cœperint & dicere: ut quid nobis hoc præcipitur, niſi quia ex nobis habemus, ut invicem diligamus? ſequitur continuò idem Joannes, confundens eos & dicens:* QUIA DILECTIO EX DEO EST. Non autem hinc victi forent Pelagiani, ſi ſine hac dilectione aliquod veræ pietatis opus à nobis poſſet procedere: at hoc quoniam fieri nequit, cum iſta dilectio oſtenditur nobis eſſe à Deo, invictè adversùs Pelagianos concluditur, non ſufficere naturæ vi-

Can. 4.

Loco citato cap. 10.

L. de gratia & lib. arb. cap. 18.

res, ut aliquid boni velimus aut operemur.

Quamobrem perpetuò instabat Augustinus ut charitatem Pelagiani confiterentur esse ex Deo: *Nos*, inquit, *istam gratiam in eorum confessione requirimus, de qua dicit Apostolus*: NON ENIM DEDIT NOBIS DEUS SPIRITUM TIMORIS, SED VIRTUTIS, ET CHARITATIS ET CONTINENTIÆ: *Non est autem consequens, ut qui habet donum scientiæ quo noverit quid agere debeat, etiam habeat charitatis ut agat.* Et alibi: *Satis*, ait, *dici non potest quantum cupiamus in eorum hominum scriptis apertam confessionem illius gratiæ reperiri, quam vehementer commendat Apostolus, nec solâ revelatione scientiæ nos divinitùs adjuvari ut piè justèque vivamus, quæ sine charitate inflat: verùm etiam inspiratione charitatis ipsius quæ plenitudo legis est, & quæ cor nostrum, ut scientia non inflet, ædificat.*

L. de gratia Christi c. 33

Epist. 143.

§. V.

Julianus admittebat externa auxilia esse à Deo; sed non charitatem sine qua nullius est bona voluntas.

CUm multos modos connumerasset Julianus, quibus nos adjuvat Deus respondet illi: *Tam multa dicis, quibus nos adju-*

Cont. 2. resp. Jul. c. 108.

adjuvat Deus, id est, præcipiendo, benedicendo, sanctificando, coërcendo, provocando, illuminando, & non dicis charitatem dando, cum dicat Ioannes Apostolus : CHARITAS EX DEO EST. Et postea : *Cum quæritur à vobis: quæ sunt ista adjutoria gratiæ Dei? dicitis quæ supra commemorasti, Deum adjuvare præcipiendo, benedicendo, sanctificando, coërcendo, provocando, illuminando, quæ omnia etiam per homines fiunt secundum scripturas: nam & præcipiunt homines & benedicunt, & per divina Sacramenta sanctificant, & corripiendo coërcent, & exhortando provocant, & docendo illuminant,* NON TAMEN QUI PLANTAT EST ALIQUID, NEQUE QUI RIGAT, SED QUI INCREMENTUM DAT DEUS. *Hoc est autem incrementum, ut unusquisquè obediat præceptis Dei: quod non fit, quando verè fit, nisi charitate: unde Ecclesia incrementum facit corporis in ædificationem sui in charitate. Istam charitatem non dat nisi Deus:* CHARITAS ENIM EX DEO EST. *Hanc vos inter adjutoria gratiæ quæ commemoratis, nominare non vultis, ne hoc ipsum, quod obedimus Deo, ejus esse gratiæ concedatis. Putatis quippè isto modo auferri voluntatis arbitrium.* Hinc iterùm dicit inferius : *Inter divinæ gratiæ species si poneretis dilectionem quam non ex nobis sed ex Deo esse, eamque Deum dare filiis suis apertissimè legitis,*

Ibid. c. 116.

Ibid. c. 125.

sine qua nemo piè vivit, & cum qua nemo nisi piè vivit, sine qua nullius est bona voluntas, & cum qua nullius est nisi bona voluntas, verè liberum defenderetis, non inflaretis arbitrium.

Tametsi ergo naturæ affectus à Deo sit, ac per hoc in suo genere sit bonus, eumquè Deus regere possit & dirigere, atque immisso sive præsentium sive futurorum malorum timore, concedens etiam talem qualis ex naturæ affectu procedere potest rectitudinis seu honestatis amorem, ac multiplicibus aliis modis, animum ne per vitia diffluat cohibere, propter quæ & magnæ, ipsi referendæ sunt gratiæ, quoniam gratuitâ bonitate hoc facit: pulchrè hoc exponit Augustinus: *Adulter*, inquit, *non fuisti in illa tua vita præterita, plena ignorantia, nondum illuminatus, nondum bonum malumquè discernens, nondum credens in illum qui te nescientem regebat. Hoc tibi dicit Deus tuus: regebam te mihi, servabam te mihi, ut adulterium non committeres suasor defuit: ut suasor deesset, ego feci; locus & tempus defuit, & ut hæc deessent, ego feci. Affuit suasor, non defuit locus, non defuit tempus: ut non consentires, ego terrui: agnosce ergo gratiam ejus cui debes & quod non admisisti. Mihi debet iste? quod factum est, & dimissum vidisti, mihi debes & tu quod non admisisti. Nullum*

Hom. 23. cap. 6. inter 50.

est

est enim peccatum quod fecit homo, quod non possit facere alter homo, si desit rector à quo factus est homo.

Hujusmodi tamen divini adjutorii beneficia vel solùm sunt externa hominis directio, vel licet etiam affectus quidam sint homini à Deo immissi, ut sunt isti timores ac similia, dum ab omni charitatis affectu sejuncti sunt, plerumquè tamen naturæ ordinem gradumque non transcendunt; naturalis enim amoris ramus est, ut dictum est supra, omnis animi motus qui ex radice charitatis non oritur, ac per hoc hujusmodi adjutoria non sufficiunt ut homo rectè & sicut oportet vivat aut operetur. Quamdiu enim hæret in naturæ affectu, nondum vivit ut ex Dei institutione vivere debet; sic enim factus est, ut justitiæ affectu Deum propter se diligeret: & se ac quidquid naturali appetitu sibi appetit, in ipsum referret. Propter quod hæc homini necessaria est gratia, quâ supra se & naturæ suæ motum, charitatis affectu in Deum elevetur: seu potius hæc charitas, *ipsa est*, ut ait Augustinus, *gratia Dei per* JESUM CHRISTUM *Dominum nostrum.* *Lib. de nat. & grat. cap. 70.* Hinc culpans Pelagianos: *Legem*, ait, *diversis locutionum modis & varietate verborum*

Lib. 4. ad Bonif. c. 5. *in omnibus disputationibus suis volunt intelligi gratiam, ut scilicèt à Domino Deo adjutorium cognitionis habeamus, quo ea quæ facienda sunt, noverimus; non inspirationem dilectionis ut cognita sancto amore faciamus, quæ propriè gratia est.* Propter quod alibi dicit: *Bene vivere donum esse divinum; non tantùm quia homini Deus dedit liberum arbitrium, sine quo nec benè nec malè vivitur: nec tantùm quia præceptum dedit, quo doceat quemadmodum sit vivendum; sed quia per Spiritum Sanctum diffundit charitatem in cordibus eorum, quos præscivit ut prædestinaret, prædestinavit ut vocaret, vocavit ut justificaret, justificavit ut glorificaret.* Hinc egregium librum de Concordia gratiæ & liberi arbitrii scripsit S. Anselmus, quo ostendat sine Dei gratia nihil boni nos posse; quia ex nobis, seu relictis in naturæ viribus, amissa justitiæ dilectio nequit recuperari.

Lib. de Spir. & litt. c. 5.

§. VI.

Sine Dei dilectione nihil fit quod ad veram pietatem pertineat.

SIne hac dilectione nihil quod ad veram pietatem pertinet à nobis fieri, sic Augustino fuit indubitatum, ut neminem hac de re velit ambigere: *Gratiam*

L. de grat. Christ. c. 26.

tiam Dei, inquit, *quâ charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis, sic confiteatur qui vult veraciter confiteri, ut omnino nihil boni sine illa quod ad pietatem pertinet, veramque justitiam fieri posse non dubitet.* Et hinc tamquam de re omninò indubitata loquitur S. Prosper cum ait: *Quasi ista scientia vel ex naturæ opibus residua, vel ex legalis doctrinæ eruditione quæsita, possit sui perceptione præstare, ut quod faciendum noverimus, etiam facere diligamus: aut ullus sit bonæ voluntatis motus, nisi quem creavit diffusæ per Spiritum Sanctum charitatis afflatus.* Generatim tamen hîc accipiendum est nomen, charitatis, pro omni vero ergà Deum affectu, quo gratis & propter se diligitur. Aliàs enim, uti habet S. Thomas: *Charitas non solùm significat amorem Dei, sed etiam amicitiam quandam ad ipsum, quæ quidem super amorem addit mutuam redamationem cum quadam communicatione mutua.* Sic enim poni solet tertia virtus Theologica ipsâ fide & spe ordine generationis posterior, cum tamen nec ipsæ sine aliquo Dei propter se amore haberi possint; *Fides enim*, uti habet idem Thomas, *quæ est donum gratiæ inclinat hominem ad credendum secundùm aliquem affectum boni etiamsi sit informis.* Hic affectus naturalis non est,

Cont. Collat. cap. 22.

1. 2. q. 65. a. 5.

2. 2. q. 5. a. 2. ad 2.

ſed ſupernaturalis; ac per hoc ad charitatem pertinet, quâ nempè homo divinæ auctoritati & veritati piè & reverenter afficitur, eamque dignam æſtimat, cui intellectum ſubmittat, ipſumque in fidei obſequium captivet.

Hæc autem charitas ſic generatim accepta ſubinde ſic exigua eſt, ut non ſolùm hominem non juſtificet, ſed ut nec omnem mortiferi peccati affectum excludat: Inerat quippe Auguſtino cum dicit: *Voluntas autem nova quæ mihi eſſe cœperat ut te gratis colerem fruique te vellem, Deus ſola certa jucunditas, nondum erat idonea ad ſuperandam priorem vetuſtate roboratam.* Ineſt juxta Anſelmum iis, qui tametſi nondum converſi ſint, tamen converti deſiderant, & dicunt: *Converte nos Deus ſalutaris noſter.* Ineſt juxta S. Fulgentium omnibus qui charitatem appetunt: Charitas, inquit, *tunc diligitur cum habetur, nec diligitur niſi habeatur. Equidem poteſt diligi à nobis, etiam cum petimus ut augeatur in nobis, ſed non diligit ejus augmentum; qui non habet initium.*

L. 8. conf. cap. 5.

Epiſt. 5. ad Eugypium vide Scotū Lib. 1. d. 3. q. 3. in fin.

Hujuſmodi ergò charitas, hoc eſt Dei propter ſe dilectio neceſſaria eſt ut bonum opus uti oportet etiam incipiamus. Hinc illa eſt II. Arauſicanæ Synodi confeſſio: *Hoc etiam*, inquit, *ſalubriter profite-*

Can. 25.

mur & credimus, quod in omni opere bono non nos incipimus, & postea per Dei misericordiam adjuvamur; sed ipse nobis, nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem & amorem sui priùs inspirat, ut & Baptismi Sacramenta fideliter requiramus, & post Baptismum, cum ipsius adjutorio ea quæ sibi sunt placita implere possimus: Sine hoc proinde amore haberi non potest bonus voluntatis motus, de quo ait Tridentinum Concilium: Quòd falsò quidem calumnientur Catholicos Scriptores, quasi tradiderint Sacramentum Pænitentiæ absque bono motu suscipientium gratiam conferre: quod nunquam Ecclesia Dei docuit aut sensit.

§. VII.

Quid agendum in praxi, dum disputatio de Attritione solo metu adhuc est indecisa?

HÆc nunc ex abundanti dixisse sufficiat; ampliùs his immorari postulat materiæ magnitudo, sed ad sequentia festino: quia verò de sufficientia supra memoratæ Attritionis adhuc Doctorum fervet contentio, quid hac lite pendente sit unicuique agendum exposuit jam olim Illustrissimus ac Reverendissimus hujus Mechliniensis Sedis Archie-

chiepiſcopus Jacobus Boonen, cujus Decretum hîc nolim omittere; eſt ergò quod ſequitur.

DECRETUM

Illuſt^mi Domini Archiepiſcopi Mechliniensis.

„ IACOBUS Dei & Apoſtolicæ Sedis „ gratiâ Archiepiſcopus Mechlinien„ſis, omnibus animarum curam haben„tibus, confeſſariis & verbi divini præ„dicatoribus in noſtra diœceſi, ſalutem „in Domino. Cum in Sanctâ Catholica „Eccleſia nihil excellentiùs habeatur „ipſis ſanctiſſimis Sacramentis, è quibus „uti largiſſimis fontibus Salvatoris no„ſtri Dei in animas fidelium vel indeſi„nenter profluit prima gratia quâ juſtifi„camur, vel ea jam accepta augetur, vel „deperdita reſtituitur, nihil magis cordi „eſſe debet iis, quos Spiritus Sanctus po„ſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, „quàm ut ea non ſolùm ritè & abſque „ullo invaliditatis periculo, ſed inſuper „pleniſſimo ſemper affectu ovibus ſuis „adminiſtrentur.

„Quare cum ex omnium Theologo„rum ſententia in eorundem Sacramen-

torum

ſorum adminiſtratione adhiberi ſem- "
per debeant materiæ & formæ certæ, "
determinatæ, ac quantum fieri poteſt "
ſecuriſſimæ. Nullo autem modo (ex- "
tra neceſſitatem) dubiæ vel controver- "
ſæ: intelligamus verò inter Catholi- "
cos Doctores adhuc diſputari, an inter "
actus pœnitentis, quos ſacrum Conci- "
lium Tridentinum definit eſſe quaſi "
materiam Sacramenti pœnitentiæ, ſuf- "
ficiens cenſeri debeat illa contritio im- "
perfecta ſeu attritio, quâ tantum pro- "
pter pœnas peccata deteſtamur, pluri- "
bus quidem à Concilio Tridentino id "
affirmantibus, aliis nihilominus, etiam "
ab eodem Concilio, id negantibus: ne "
in iſta ſententiarum diverſitate ſalus "
pœnitentium periculo exponatur. "

Vobis & unicuique veſtrum, qui "
ad Sacramenti pœnitentiæ adminiſtra- "
tionem eſtis admiſſi & approbati, man- "
damus, quatenus omnem veſtram in- "
duſtriam eò conferatis, ut omnes ad "
dicti Sacramenti perceptionem acce- "
dentes, inducatis, moveatis & diſpo- "
natis ad veram & cordialem deteſtatio- "
nem ac dolorem ſuorum peccatorum, "
non tam ex timore pœnarum, quàm "
ex Dei amore, quo ipſum velut ſum- "

„ mum

„ mum bonum (quod maximâ impieta-
„ te peccando contempſerunt) perfectè
„ diligant, vel ſaltem ut fontem juſtitiæ,
„ quâ ſcilicet juſtificamur, diligere inci-
„ piant : ſi enim populus ille rudis ſub
„ veteri lege, qui acceperat tantùm ſpiri-
„ tum ſervitutis in timore, in tanta gra-
„ tiæ penuria non poterat juſtificari niſi
„ per veram & perfectam contritionem,
„ neque ſalvari niſi per dilectionem Dei
„ ſuper omnia; meritiſſimè nos filii novi
„ Teſtamenti, qui non accepimus ite-
„ rum ſpiritum ſervitutis in timore, ſed
„ ſpiritum adoptionis quo filii Dei nomi-
„ namur & ſumus, in tanta gratiæ ple-
„ nitudine quam effudit in nos per Spiri-
„ tum Sanctum qui datus eſt nobis, non
„ tanquam ſervi timore pœnarum, ſed
„ tanquam filii ex amore ejus qui dilexit
„ nos & lavit nos à peccatis in ſangui-
„ ne ſuo, ipſa peccata ſuper omnia mala
„ deteſtari debemus. Ut verò populus
„ Chriſtianus in re tanti momenti magis
„ inſtruatur, vobis verbi Dei Prædicato-
„ ribus injungimus, quatenus ſæpius oc-
„ caſionem capetis tractandi de natura,
„ motivis & effectibus contritionis, ut
„ & de amore Dei ſuper omnia (ſine
„ quo vera contritio haberi non poteſt)
„ ut

ut duobus hisce necessariis mediis in-"
structus, quavis occasione, & quovis"
tempore auxiliante Domino remissio-"
nem peccatorum & salutem animarum"
suarum consequi possit. Datum Bru-"
xellæ die vigesima sexta Martii anno"
Domini millesimo sexcentesimo tri-"
gesimo septimo."

Decretum istud alio suo Decreto inseruit ac denuo servandum proposuit Amplissimus Dominus Amathus Coriache ejusdem Sedis Archiepiscopalis ibidem vacantis Vicarius Generalis, Anno Domini millesimo sexcentesimo sexagesimo septimo, die vigesima octava Aprilis, & iterum anno seq. die 23. Julii.

CAPUT XVII.

Utrum Confessarius interrogare possit de consuetudine, & an hic teneatur respondere.

NEgat Appendix num. 276. dicitquè in eo confessarium limites fori sui & tribunalis excedere: imo inquirenti confessario, ait num. 127. Responsionis brevis, pœnitens non tenetur ad hoc respondere. Negaverat id ipsum jam prius Joannes Sancius, adcdens

dens posse pœnitentem licitè uti æquivocatione & consuetudinem negare. Verùm graviter displicuit hæc ejus Doctrina Cardinali de Lugo è Societate JESU Theologo: dixitque id esse contra omnes Theologos, contra praxim Ecclesiæ, & contra finem hujus Sacramenti.

De Sacram. pœnit. sect. 10. n. 173. Disp. 14

Itaque affirmativa pars propositæ quæstionis cum dicto Cardinali tenenda est, quam sic probat: *Quia scilicèt Confessarius cum sit judex & medicus, habet jus ad interroganda illa quorum notitia necessaria est ad utilem correctionem vel pœnitentiam imponendam: quare sicut diversam pœnitentiam debet imponere pro furto centum millium aureorum, quàm pro furto unius aurei, & ideò potest illam circumstantiam interrogare; sic multò magis oportet cognoscere statum pænitentis in ordinem ad consuetudinem præteritam, ut sciat quænam medicina sit illi hîc & nunc applicanda, & an indigeat dilatione absolutionis, ut hoc tandem modo curetur.*

Nec hoc est cogere pœnitentem ad confitenda bis eadem peccata, nam in hac secunda confessione, non dat pro materia confessionis consuetudinem præteritam, nec de illâ se accusat, sed explicat illam indirectè ad declarandum statum suum & indigentiam præsentem, quâ ratione non est novum obligari aliquando pœnitentem ad declaranda iterum peccata, de quibus antea

confessus fuerat, & assignatis quibusdam casibus *in quibus & aliis multis indirectè oportet*, inquit, *declarare peccatum precedens ad confessionem peccatorum præsentium, in quo nulla est difficultas, nec propterea excusari debet pœnitens ab explicanda consuetudine præterita, quando legitimè interrogatur à confessario in ordine ad medicinam applicandam pro peccatis præsentibus; alioquin sequerentur gravissima inconvenientia, si aliquis per viginti annos concubinam quotidie invisens, semper in confessione diceret, se illâ solâ vice cum ipsa peccasse. Quid hoc turpiùs excogitari posset, & magis contra finem & reverentiam Sacramenti?* Hæc ille, singula diluens, quæ nunc iterum movit Appendix.

Intelligit hæc Lugo etiam tum procedere, cum jam pœnitentem Confessarius æstimat ritè dispositum, ut nempè tamquam medicus congruam possit ei medicinam apponere. Multò itaque magis id fieri necesse est, ut tanquam judex præsentem ejus dispositionem, an legitima sit valeat dijudicare: non enim cæco assensu, uti superiùs est probatum, pænitentis assertioni à Confessario est annuendum, sed singula attendenda sunt, ut ex omnibus prudens judicium formetur: multum autem ad hoc judicium præterita confert consue-

consuetudo; partim quia, ut ostensum est, peccator ægriùs, quò magis peccatis est inveteratus, convertitur; ac per hoc ex præterita consuetudine magnum præjudicium sumitur, ut non tam facilè dum se conversum dicit, nisi alia concurrant, illi possit credi. Imo qui communiter cadendi ac relabendi vices alterant, habere oportet de conversione suspectos, ut proinde nisi dignis pœnitentiæ fructibus perfectiùs se nunc pœnitere probaverint, absoluto judicio prudenter à Confessario illis nequeat assentiri.

Reg. Brev. Resp. 20. Partim etiam quia, ut notat S. Basilius: *Animus qui peccato assuetus est ad illud plerumque solet esse proclivior*; Et consuetudinis vinculis irretitus, ait Aëlredus, *in omnibus debilis & inermis, & quasi fœmineus invenitur.* *Serm.* 25. *in Isai.* Hinc multæ sunt illi proximæ peccati occasiones, ut dici solent, per accidens, quas nisi præ cœteris vitare disponat, legitimè non convertitur, nec veræ pœnitentiæ habet propositum, quæ supposito præteritorum dolore & displicentiâ juxta Chrysosthomum: *ea demum est ne ampliùs peccemus*: Hac autem ex parte non rarus est defectus: cum enim ejusmodi occasiones per se malæ non sint, nec communiter ab aliis vitandæ, sæpe nec

ipsis

ipſis quibus ex ſua indiſpoſitione proximæ ſunt, vitandæ apparent: & lapſus quos hac ratione committunt, propriæ infirmitati aſcribunt, ſufficere exiſtimantes ſi eam agnoſcant & confiteantur, aut etiam optent ſublatam. Hoc non ſatis eſſe, pluribus jam ante monſtratum eſt, niſi quis & ſatagat ab hac ſua infirmitate curari, ac ſibi caveat quantum neceſſe eſt, nè peccati recidivum patiatur. Ad veram etenim pœnitentiam, ut cum Chryſoſthomo dicam; *Oportet & operibus & animo omni ſcelere vacuum eſſe, & vulneribus contrariam adſerre medicinam.* *Ibidem.*

Quis verò hac ex parte defectus ſubſit, & quæ pænitenti neceſſariò ut verè pœniteat aſſumenda ſunt remedia, quantùm ſe debeat cavere, communiter Confeſſario innoteſcere non poteſt, conſuetudine ac per hoc interioris morbi ejus magnitudine ac diuturnitate ignoratâ. Tanti hæc æſtimabat Alexander Alenſis, cui multùm tribuit Appendicis Auctor, *P. 4 q. 18,* eumque non uno loco Doctorem dicit *a. 4 §. 3.* irrefragabilem, ut cum reſolviſſet non teneri quempiam ſingulis annis univerſaliter ſingula peccata, nempè aliàs legitimè confeſſa, confiteri; ſubjungat tamen: *Si autem ſingulis annis pateretur recidivum, &*

 cum

cum hoc toties mutaret Confessorem, existimo quod tenetur; sed si sollicitè & dignè faciat quis pænitentiam de peccatis quæ commisit aliàs confessis, non tenetur ad annualem confessionem de eisdem: si autem quandoque vellet, qui haberet curam animæ suæ, quòd confiteretur sibi generaliter, ut magis diligenter agnosceret vultum pecoris sui, & illi confiteri præciperet, credo
§. 4. *quod deberet obedire.* Et §. sequenti, quæstionem proponit, An pœnitens quoties recidivat, toties peccata præterita repetere habeat? Cui respondet: quòd quædam opinio fuit, quod *non oportet confiteri nisi peccatum quod noviter perpetravit, & hoc nimis videtur conscientias ampliare.* Et factâ quadam inter priorem, cui pœnitens confessus fuerat, & novum Confessarium distinctione; *Si confiteatur*, inquit, *alicui novo Sacerdoti tenetur omnia confiteri, sive peregerit pænitentiam de illis sive non: quia nec aliter vultum pecoris ipse cognoscet: per mores enim præteritos potest quis discernere statum hominis de futuro: quomodo scilicet ipsum habeat regere.*

Hæc ille irrefragabilis Doctor, cui si Appendix refragari nolit, non Manuductionem, sed se in his quæ protulit, debet reprehendere.

CAPUT XVIII.

Vtrùm Sacramentalis Absolutionis dilatio Pœnitenti, cujus confeßione factâ moraliter certò non constat indispositio, sit injuriosa?

Est hæc communis objectio multorum ore pervulgata, quam & num. 281. innuit Appendix, Pœnitentem confessione factâ habere jus ad absolutionem, & proinde hæc illi citrà injuriam nequeat negari, nempè nisi ejus constet indispositio.

Verùm jam suprà dictum est, hujusmodi esse hoc pœnitentiæ forum, ut in illo Minister, qui judicis partes agit, non nisi eum quem à peccato debitè conversum prudenter existimat, judicando possit absolvere; ac propterea parum est, si pænitentis non constet indispositio, sed constare debet legitima ejus dispositio: constare, inquàm, morali illâ certitudine superiùs expositâ, cujusmodi hac in re communiter haberi possibile est: ejusmodi proindè veræ pœnitentiæ ac conversionis indicia à pænitente proferenda sunt, ut hoc modo debitam ejus dispositionem

tionem subsistere, prudenter possit confessarius judicare: à quo dum deficit, dum ejus dispositio dumtaxat ostenditur, aut ut summùm probabilis, eâ nempè probabilitate quæ utrique contradictorio potest esse communis, si justam necessitatem excipias, prætendere non potest statim absolvi, ac per hoc nec apparens fit ei injuria, si nonnihil illi differtur absolutio, ut interea perfectiùs converti annitatur, ac dignis pœnitentiæ fructibus pleniùs se probet ritè dispositum.

§. I.

An pœnitenti ritè converso possit quandoque differri absolutio?

SEd quid dum hujusmodi veræ conversionis indicia profert pœnitens, ut eum jam Sacramenti effectûs capacem judicet confessarius? an tum aliquando non injuriosè absolutio posset ipsi differri? Movet hanc quæstionem jam supra memoratus Joannes de Lugo, atque affirmativam partem dicit communiter à „Theologis afferri: Et quidem, inquit, „in hoc etiam puncto aliqua certa sunt, „in quibus omnes conveniunt. Primò, „posse ex consensu pœnitentis differri „absolu-

Loco citat. num. 167. 168. 169.

absolutionem, volenti enim non fit " injuria, atque adeò optimè facturum " confessarium, si pœnitentem suaviter " alliciat ad consentiendum. Secundò, " certum est quando dilatio, ut dicebam, " necessaria est ad explorandum firmum " propositum pœnitentis, de quo non " satis constat, posse & debere differri " absolutionem. Tertiò, non posse licitè " differri absolutionem, quando pœni- " tens est sufficienter dispositus & ex di- " latione timetur damnum potius spiri- " tuale, quàm speretur utilitas pœniten- " tis, ut puta, quod tædio affectus non " redibit vel in desperationem actus habe- " nas vitiis laxabit, &c. Quartò, deni- " que certum, non debere absolutionem " differri absque aliqua justa & rationabi- " li causa, quæ prudenter dictet esse dif- " ferendam. Difficultas ergo esse potest, " an possit esse causa rationabilis aliquan- " do ad differendam absolutionem absque " consensu pœnitentis, licèt ipse aliundè " credatur probabiliter esse nunc disposi- " tus. "

In quo procul dubio videtur vera " communis sententia affirmans, cujus " ratio desumitur ex fundamento contra- " rio, nam licèt pœnitens ligitimè dispo- "

„ ſitus, confeſſione factâ habeat jus ad „ ſententiam & abſolutionem; non ta„ men habet jus ad hoc ut ſtatim profe„ ratur ſententia. Poteſt enim judex ar„ bitrari, quomodo & quando debeat „ utiliùs proferri ſententia: atque adeò „ poteſt ante abſolutionem præmittere „ exhortationem ſpiritualem, quâ pœ„ nitentem adverſus tentationes inſtruat „ & armet, nec poteſt pœnitens id impe„ dire, aut cogere Sacerdotem ad abſo„ lutionem ſtatim impertiendam: poteſt „ item Sacerdos ante abſolutionem do„ cere pœnitentem quem videt multis „ ignorantiis involutum, quæ de cætero „ poſſunt ipſum in plura peccata induce„ re, & hoc ipſum ſpectat ad munus Do„ ctoris; quod confeſſarius exercet: un„ de conſequenter ſi Sacerdos meritò ti„ meat pœnitentem poſt abſolutionem „ non rediturum ad doctrinam illam ne„ ceſſariam accipiendam, & aliundè „ nunc non vacat illum ſufficienter in„ ſtruere, poterit movere ut redeat poſt „ prandium doctrinam & abſolutionem „ accepturus, nam ſicut nunc ex debito „ ſui officii tenebatur ad illum inſtruen„ dum, ſic propter impedimentum ne„ ceſſarium cogitur interrumpere per ali-

„ quot

quot horas actionem illam, donec ma- "
gis expeditus possit illam perficere: "
similiter ergo quando meritò timet pæ- "
nitentem nunc absolutum facilè relap- "
surum statim in eadem crimina, nisi ip- "
sâ difficultate & dilatione absolutionis "
territus, meliùs agnoscat gravitatem "
peccati & necessitatem emendationis: "
poterit differre absolutionem, ut pœni- "
tens utiliter admonitus, non maneat "
in tanto periculo reincidentiæ quantum "
aliàs certissimè subiret. "

Confirmatur ex communi Doctrina " *Num.* 170
Theologorum, qui dicunt posse Con- "
fessarium aliquando obligare pæniten- "
tem ad implendam pænitentiam ante "
absolutionem, quod licèt non possit fa- "
cere per modum vindictæ & punitionis, "
potest saltem facere per modum medi- "
cinæ; quando judicat id esse necessa- "
rium vel utile pænitenti, ex eo quòd "
soleat facilè omittere postea pæniten- "
tias sibi impositas, vel ut Confessarius "
certus sit de pænitentia impleta, vel ob "
alios fines, ut docent Zuarez, Reginal- "
dus & alii, quos refert & sequitur Bona- "
cina de Sacr. Pæn. disp. 5. q. 5. se. 3. pu. "
2. num. 20. Imo apud Græcos sic soli- "
tum fieri, ut nemo ante expletam pæ- "

 ,, niten-

,, nitentiam absolveretur dicit Palatius in
,, 4. dist. 15. q. 1. ex Nicephoro l. 11.
,, cap. 26. &c.

Num. 171. ,, Ratio autem à priori est, quia Con-
,, fessarius non solùm est judex, ut dixi,
,, sed etiam medicus; unde sicut in pæni-
,, tentia imponenda ita exercet officium
,, judicis punientis, ut debeat simul exer-
,, cere officium medici curantis; atque
,, ideò procurare, quòd impositio pœni-
,, tentiæ sit in utilitatem & medicinam
,, pœnitentis, quo reddatur magis cau-
,, tus & fortis contra tentationes; sic in
,, proferenda absolutione, licet princi-
,, paliter exerceat munus judicis absol-
,, ventis pœnitentem dispositum; debet
,, tamen simul procurare, ut medicus in
,, ipsa absolutione curationem pœniten-
,, tis, eo videlicet modo absolvendo, qui
,, magis cedat in utilitatem & remedium
,, ægroti: ad utrumque enim habet jus
,, confessarius, nec potest prohiberi à
,, pœnitente, quòd in ipsa absolutione
,, exerceat officium medici, sicut nec
,, potest ab eo prohiberi, quòd in imposi-
,, tione pœnitentiæ non sit merus judex,
,, sed etiam exerceat officium medici:
,, cùm ergo confessarius judicat expedire
,, dilationem absolutionis ad hoc ut pœ-
,, nitens

nitens reddatur magis cautus, & con-"
firmetur in proposito non peccandi, nec"
ita facilè postea relabatur, potest certè"
& debet aliquando ut medicus hoc re-"
medium pœnitenti adhibere: nec po-"
test ægrotus rationabiliter conqueri ad-"
versus medicum, cui se in hoc Sacra-"
mento curandum tradidit: neque in"
hoc debemus recedere à sententia com-"
muni, cui adstipulatur experientia mul-"
torum pœnitentium debilium, qui hoc"
remedio adhibito brevi tempore solent"
curari, & pro pueris potissimum vide-"
tur magis necessarium, qui hoc modo"
meliùs concipiunt necessitatem persc-"
verantiæ in proposito non peccandi. "

Hactenus Cardinalis Lugo, quæ omnia ejus potiùs verbis protuli, ut appareat ejusmodi non nunc hodie esse novè excogitatam praxim, sed communiter à Scholasticis Doctoribus, uti hic affirmat Lugo, jam olim assertam.



CA-

CAPUT XIX.

An huic Sacramentalis abſolutionis dilationi aliquid officiat locus Matthæi c. 18.

MUltum adverſus hanc Sacramentalis abſolutionis dilationem urgeri ſolet,& movet non paucos, quòd Matth. 18. interroganti Petro quoties peccanti in ſe fratri dimitteret; *uſque ſepties?* reſpondet Salvator: *non dico tibi uſque ſepties,ſed uſque ſeptuageſis ſepties:* certum hic numerum poſuit pro incerto, quaſi diceret; ſemper fratri volo dimitti; ex quo confici volunt Sacerdoti incumbere toties quoties id requirit pœnitens, ipſum abſolvere.

Verùm debile hoc eſt argumentum: inſtruit enim hîc CHRISTUS, uti ex ſequenti patet parabola, non confeſſarios ſed omnem hominem, ſingulis præcipiens, injurias ſibi à proximo illatas ex corde dimittere, non ſolùm internâ offenſæ vindictæquè remiſſione, ad quam ſemper quiſque paratus eſſe debet, ut erga quoslibet *teneatur in ſecreto animi* (ut loquitur Auguſtinus) *patientia cum benevolentia*, ſed & externa ſimul receptione in gra-

Epiſt. 5.

gratiam, quæ rogantibus fit & necesse est fieri ab his, qui exaudiri volunt dicentes: *dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris:* id est, ait idem Augustinus, *sic dimitte debita nostra rogantibus nobis, sicut & nos dimittimus rogantibus debitoribus nostris:* Nunc autem non eâ facilitate licet confessario ad remittendas injurias Deo factas Sacramentalem absolutionem impendere, quâ quisque potest & debet injurias sibi illatas dimittere.

Enchir. cap. 73.

In privatis quippe offensis non semper expectanda est vera cordis conversio: imo nec qualiscumque facti pœnitentia: nam *humilitas est*, ait quidam, *si quando peccaverit in te frater tuus, antequam illum peccasse pœniteat, dimiseris illi.* Hoc tamen confessario imitandum nemo dixerit, qui illum tantummodo solvere potest (uti ex B. Laurentio Justiniano dictum est) quem introrsus per compunctionem sive compunctionis indicium, vivificatum à Deo (hoc est verè conversum) esse deprehenderit, nam & Deus cujus hic judicium indicat, ut cum Augustino dicam, *non conversis* peccata *non donat: cum ipsa remissio peccatorum*, ait D. Fulgentius, *non nisi in conversione cordis sortiatur effectum in illis duntaxat, qui propriæ voluntatis utentes arbitrio*

Bern. vel quisquis est auctor libri de interi. dom. c. 51.

In Psal. 32. conne. 1.

L. 1. de remiss. pecc. cap. 13.

arbitrio divini muneris opitulatione conversi mutatâ in melius vitâ non desistunt ad poscendam remissionem peccatorum currere.

Nihil est ergo quod num. 283. objicit Appendix: an Deus fortè minus misericors est quàm homines, ut non possit vel nolit toties ignoscere? peto an mihi septies per diem dimittenti fratri, Deus non dimittet? negari non potest.

Nempe si verè & ut oportet conversus fueris. Nam qui dixit: *Dimitte & dimittimini: & in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis*, ipse & dicit: *Si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis*. Ad hoc proinde Dei Sacerdotem, *qui*, ut ait Chrysosthomus, *peccata in Deum solvendi potestatem accepit*, sive ut idem alibi: *cui animæ sordes non dico purgatas probare, sed purgare prorsus concessum est.*, oportet attendere, hoc est, an debitè & ut oportet, qui se solvendum offert, pæniteat; cum nisi verè pænitentis nec peccata solvat, nec sordibus animam purget: ac propterea ut pænitentes à non pænitentibus discernat, datæ sunt ei claves Regni cœlorum: *Sunt enim hæ claves*, uti ait Bernardus, *potestas aperiendi & claudendi, atque inter excludendos & admittendos discretio*: Sive ut S. Thomas, *Auctoritas discernendi & potestas judicandi.*

Luc. 13. v. 5. hom. 3. ad pop. l. 3. de Sacerd.

Serm. 96. in Cant. Opusc. 5.

§. I.

§. I.

Quâ ratione Dei misericordia ergà peccatores sit adeo magna.

QUòd verò Dei misericordia obtenditur, illa procul dubiò etiam ergà peccatores est maxima; dum tot ingratis & sui contemptoribus bonitatis suæ dona non substrahit, quibus indesinenter esse influit, illudque conservat; quos pascit & nutrit; quibus solem suum oriri facit, eisque multipliciter benefacit de cœlo: dum non ex aliena lege, non ex sui necessitate aut indigentia, non ex alicujus debito, quos justè damnare potest, tamen patienter eos sustinens, & *partibus judicans dat locum pœnitentiæ*: dum ipsos à se recedentes & fugientes, nec reverti volentes misericorditer præveniens *admonet, & alloquitur: ut relictâ malitiâ credant in se Dominum*; dum converti incipientium pios conatus quos ante immerentibus infuderat, amplioris gratiæ dono adjuvat & aspirat: dum eos *adhuc longè* existentes *Luc.* 15. ut Pater videt, & misericordiâ movetur: dum denique eos conversos benignè suscipit, & peccata donans, citò proferri jubet stolam primam. Hæc magna Dei

est misericordia superexaltans judicium. Hoc tamen, ut notat Augustinus, ab illa separari non potest: *Omnipotens est Deus,* inquit, *nec in misericordia amittit judicium, nec in judicio misericordiam: Miseretur enim, considerat imaginem suam, fragilitatem nostram, errorem nostrum, cœcitatem nostram: & vocat; & conversis ad se donat peccata, non conversis non donat.*

In Psal. 32. Conc. 1.

Hoc modo Dei misericordia consideranda est, ut illi quis ordinatè confidat: *De omnipotentis etenim Dei misericordia,* ait magnus Gregorius, *ordinatè confidit, qui hoc quod peccando deliquit, pænitendo corrigit, flendo tergit*: Propter quod alibi monet: *Sic peccatores de Dei misericordia præsumant, ut tamen id quod se nequiter egisse recolunt, per pænitentiam delere non negligant.*

In l. 1. reg. l. 2. cap. 4.

Ibid. lib. 3. cap. 5.

Hinc rectè Hieronymus: *Libenter Deus suscipit pænitentes, & occurrit filio inopiâ & squallore confecto, statim induit pristinis vestibus, & reddit gloriam revertenti, ita dumtaxat ut revertatur in ploratu & ululatu.*

In cap. 3. Hierem.

Propter quod monet alibi: *Nec satis est quærere Dominum, & dum pænitentiæ tempus est invenire, atque invocare eum dum prope est, nisi reliquerit impius vias suas pristinas & cogitationes antiquas, quibus à Domino declinaverat. Tunc enim revertemur ad Dominum qui misere-*

In cap. 55. Isai.

misrebitur nostri, & ad clementissimum Patrem, qui multus est in misericordiis & facilis ad ignoscendum, cum cogitationes & vias pristinas reliquerimus, ut postea mereamur audire: Beati quorum remissæ sunt iniquitates & quorum tecta sunt peccata: dum enim hoc modo veraciter ad Deum quis convertitur, nulla peccatorum magnitudo, nulla relapsûs frequentia ejus misericordiam arcere potest aut indulgentiam avertere. *Ad omnes* *Ezech. c. 18 v. 21. 22.* *quippè hic degentes pertinet, quod dictum est: si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium & justitiam, vitâ vivet & non morietur: omnium iniquitatum ejus quas operatus est non recordabor: in justitia sua quam operatus est, vivet:* Hinc verum est illud Augustini, *perfecta nostra conversio paratum invenit Deum:* & S. *In Psal. 6.* Leonis post ipsum: *misericordiæ Dei nec* *Epist. 91.* *mensuras possumus ponere nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniæ moras vera conversio:* ut proindè, non obstante qualicumque relapsu, verus pœnitens dum se verè pœnitere ostendit & aliud non suadet medicinæ curatiò, semper sit Sacerdoti absolvendus.

Hoc modo præsens CHRISTI responsum & confessariis accommodari potest:

test: nam verè non usque septies, sed septuagesies septies, hoc est, toties quoties quis lapsus fuerit, & eum ut oportet lapsus sui pœnituerit, est absolvendus. Verùm dum hæc ejus pœnitentia ambigua est & nulla premit necessitas, non rectè illi absolutionem differri, ut hinc magis sollicitus, perfectiùs conetur resurgere, ex istis CHRISTI verbis, quomodocumquè quis ea accipiat, nec apparenter potest deduci: uti nec tum non posse differri, cum licet pœnitens absolutè existimatur conversus, nonnulla tamen dilatio curandæ ejus infirmitati, uti id superiori capite ex Cardin. Lugo est expositum, judicatur expediens: nam & in privatis sustinendis & remittendis injuriis hic modus servandus est, *ut teneatur in secreto animi*, ait Augustinus, *patientia cum benevolentia, in manifesto autem id fiat quod eis videtur prodesse posse, quibus benè velle debemus.*

Epist. 5.

CA-

CAPUT XX.

An rectè faciant qui peccatoribus misericorditer, ut ajunt, condescendentes pro peccatis mortalibus levißimas imponunt pænitentias?

SUperest nunc tertia Sacramenti Pænitentiæ pars, quæ satisfactio dicitur, quia quibusdam pæniten-tiæ operibus, quæ juxta S. Thomam, *Opusc. 4.* præcipuè sunt jejunium, oratio & eleë-*p. 2.* mosina, ex Sacerdotis præscripto offensas Deo factas pro suo modulo pænitens nititur compensare: nam quamvis & sponte quædam pænæ suscipi possint, *Conc. Trid.* Deoque pro commissis culpis offerri, imo *sess. 14. c. 9.* & temporalibus flagellis à Deo inflictis, & à nobis patienter toleratis apud Deum Patrem per JESUM CHRISTUM satisfacere valeamus: tamen, ut notat Romanus *P. 2. de Sa-* Catechismus, *illa tantùm Sacramenti pars cram. pænit.* *censenda est, quæ ex præcepto Sacerdotis Deo pro num. 88.* *peccatis dependitur. Hoc adjuncto, ut statutum cum animo & deliberatum habeamus, peccata in posterum omni studio vitare.* Atque hoc modo exponendum illud Gregorii; *dum mens flendo compungitur, necesse est ut etiam caro,*

quæ delectationibus subjacuit, affligatur: quæ tamen afflictio pœnitentiæ ad delenda peccata tum demum idonea est, cum Sacerdotis fuerit judicio imperata, cum ab eo confitentium actibus discussis, pro modo criminis onus eis discernitur afflictionis.

§. I.

Non modica satisfactio pro mortalibus peccatis requisita.

L. de natura boni c. 31. TAmetsi verò (ut cum Augustino dicam) *cuique culpæ qualis & quanta debeatur pœna, divini judicii est non humani:* Ac per hoc arduum est, cuique crimini debitum discernere onus afflictionis; tamen non modicum illud esse quod pænitentibus post Baptismum lapsis subeundum incumbit, vel ex eo constat, quòd Pænitentiæ Sacramentum laboriosum Baptismum SS. Patres vocitârunt; quia nempè *Sess. 14. c. 2.* ad amissam per peccatum Baptismi *novitatem & integritatem, per Sacramentum Pænitentiæ*, ut loquitur Tridentina Synodus, *sine* *Epist. 40.* *magnis nostris fletibus & laboribus, divinâ id exigente justitiâ, pervenire nequaquam possumus.* Hinc illud S. Cypriani; Dominum à lapsis longâ & continuâ satisfactione esse placandum, propter quod alibi eos hortatur:

tur: *Quàm magna deliquimus, tam granditer defleamus: ALTO vulneri diligens & longa medicina non desit: pænitentia crimine minor non sit. Putasne tu Dominum citò posse placari, quem verbis perfidis abnuisti, cui patrimonium præponere maluisti, cujus templum sacrilegâ contagione violasti? Putasne facilè eum misereri tui, quem tuum non esse dixisti? Orare oportet impensiùs & rogare, diem luctu transigere, vigiliis noctes ac fletibus ducere, tempus omne lachrymosis lamentationibus occupare &c.* *Lib. de lapsis.*

Hinc est illa Magni Basilii reprehensio: *Nos quum vel unâ oraverimus die, vel horâ unâ brevem aliquam super peccatis nostris tristitiam passi, securitatem nobis promittimus: perinde ac quidpiam confecissemus, quod ex æquo responderet diluendæ nostræ omni malitiæ:* Aliud quippe hic exigi ostendit, cum alibi dicit: *Attende tibi ipsi, ut pro delicti proportione hinc quoque mutueris ex admota valetudinis instaurandæ subsidium. Magnum est & grave peccatum? multâ opus habes confessione, lacrymis amarulentis, peracri contentione vigiliarum, indevulso & incontinenti jejunio: levis est? nec tolerandà offensio: Huic quoque exæquetur pœnitentia;* sed minor: nam uti post ipsum S. Hieronymus: *Qui levi peccatorum sorde maculatus est, levioribus purgatur monitis: porro peccata gravia quæ ad mortem trahunt, nec nitro* *In Ps. 114.* *Hom. in illud. attende tibi.* *In cap. 2. Hier.*

nec herba Borith dilui possunt; sed gravioribus tormentis indigent. Quibus conformiter S. Augustinus, *Omnia ergo præterita conversis dimittuntur: cætera autem hujus vitæ sunt quædam gravia & mortifera, quæ nisi per vehementissimam molestiam humiliationis cordis & contritionis spiritus & tribulationis pœnitentiæ non relaxantur: hæc dimittuntur per claves Ecclesiæ.*

Serm. 34. de diversis cap. 12.

Ille enim omnium judex, ait post hos S. Cyrillus Alexand. *gravissima crimina morte multat; admittit tamen eos, qui peccârint, pretia offerentes, quæ peccata solvant, lacrymas nimirum pœnitentiæ, laboremquè conversionis & eleëmosynæ modos: superat enim misericordia judicium juxta Scripturas.* Hanc veræ pœnitentiæ vim simul & modum declarans S. Prosper: *Quod si ipsi*, inquit, *judices fiant & veluti suæ iniquitatis ultores hîc in se voluntariam pœnam severissimæ animadversionis exerceant, temporalibus pœnis mutabunt æterna supplicia:* Meritò proinde S. Chrysostomus cum sibi interrogantem opposuisset: *Si casu lapsus fuero, quid faciendum censes esse?* respondet: *Deterge maculas tuas diligenter. Quo pacto? largas effunde lacrymas, ingemisce, misericorditer pauperibus de tuis afferas. Si injuriatus cuipiam es, satisfacias abundè, reconcilia te illi.*

L. 7. de ado. in spiritu *Vide lib. 8. paulò post initium sive Iulianus Homerus l. 2. de vita contemp. c. 7.*

Hom. 52. in Matth.

Con-

Confirmant hæc veteres Ecclesiæ Canones, quibus plerumque etiam longi temporis, uni è gravioribus delictis pœna erat decreta; quamvis autem antiquus eorum rigor hodie exoleverit, nec servari necesse est; non exolevit tamen pœnitentia peccatoribus post Baptismum relapsis ac jam resurgentibus divinâ justitiâ imposita. Hanc non modicam esse, generatim declarant jam supra memorata Patrum testimonia; sed speciatim magis ex Ecclesiæ Canonibus colligitur. Non enim decreti erant ut dumtaxat Ecclesiæ, sed præcipuè ut Deo sufficeret. Hoc enim ad reprimendam nimiam quorumdam in pœnitentes indulgentiam urgebat B. Cyprianus: *Hæc qui subtrahit fratribus nostris, decipit miseros, ut qui possunt, agentes pœnitentiam veram, Deo Patri misericordi precibus & operibus suis satisfacere, seducantur ut magis pereant.* *Epist. 10.* *Canones non merè pro satisfactione ipsi Ecclesiæ exhibendâ propositi.*

Cum itaquè Sacerdotum sit, ut supra monebat Gregorius, discussis confitentium actibus, pro modo criminis eis onus discernere afflictionis: *Debent*, ut ipsis dicit Tridentinum Concilium, *quantum spiritus & prudentia suggesserit pro qualitate criminum & pœnitentium facultate salutares & convenientes satisfactiones injungere, ne si fortè* *Sess. 14. cap. 8.*

peccatis conniveant & indulgentiùs cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Ex quo non ritè munere suo fungi probat Manuductio, qui gravium peccatorum reis non nisi E. G. quinque *Pater* & *Ave* ad satisfaciendum imponunt. Si enim id non sit levissima quædam opera prò gravissimis delictis injungere, nescio si aliquos Tridentini Patres reprehendant. Attamen hîc iterum sese opponit Appendix, aut sese opponere fingit..... *Contra*, inquit num 277. *hoc passim & promiscuè fieri improbamus: sed cum aliquibus sic agere expedit: oportet aliquando misericorditer condescendere fragilitati hominum, qui majores pœnitentias non implerent, potius eligendo ipsos mittere ad purgatorium, quàm ad infernum.*

§. II.

AEgris & moribundis non imponenda magna pœnitentia.

AN, quando, aut quomodo pœnitentium infirmitati debeat vel possit condescendi, non inquirit Manuductio, dumtaxat generalem profert doctrinam, quæ in assertis terminis procul du-

bio vera eſt, ſicut vera eſt illa Tridentini: quam proindè immeritò Appendix dicendo, *contra*, videri vult reprehendere; non enim illi contrarium eſt quod ſubjungit: ſed cum aliquibus ſic agere expedit: fieri id poteſt uti E. G. nonnunquam cum ægris aut moribundis, quibus ut mandat S. Pontifex Leo, *nec ſatisfactio interdicenda eſt, nec reconciliatio deneganda*, quanquam & ipſis plerumque adhuc alia imponi poteſt, nempè ægritudinis & cruciatuum moleſtiarumquè inde provenientium ſuſtinentia, imo & ipſa mortis, ſi contingat, perpeſſio. *Epiſt.* 91.

§. III.

Quos poſt gravia crimina ſola voluntatis pertinacia vel ignavia impedit à ſatisfactione, non ita ſunt tractandi ut ægri vel moribundi.

AN verò cum iis id expediat, qui ſani ſunt & quos gravium peccatorum reos à pleniori ſatisfactione non impedit, niſi propria voluntas aut mentis ignavia, non facilè dixerim. Vult enim Deus ſibi ſatisfieri, vult peccatores poſt Baptiſmum lapſos non modicos pœnitentiæ labores ſubire: *Convertimini,* inquit, *ad me in toto corde veſtro, in jejunio &* *Ioël cap.* 2.

in fletu & in planctu; Propter quod vera pœnitentia ſic donandis peccatis Dei implorat miſericordiam, ut tamen dignis operibus, ejus non detrectet ſatisfacere juſtitiæ. *Scio*, inquit, *quem invocem, juſtum invoco, qui & peccata odio habet & iſta impunita non dimittit: ſicut ejus miſericordiam expeto, ita etiam juſtitiam ipſius attendo. Non ſic poſtulo miſericordiam accipere, ut velim ab eo juſtitiam auferre. Nolo ut peccatum meum remaneat impunitum; ſic miſericordia eſt, ut peccanti ignoſcat, ſic juſtitia eſt, ut peccatum impunitum non tranſeat.* Non hæc ejus vox eſt, qui peccatorum ſuorum non niſi cogitat impunitatem, ac ſibi multipliciter reo aliud non patitur quàm quinque *Pater* & *Ave* imponi. Hujuſmodi verè pœnitere non facilè affirmavero. Certè S. Cyrillus Alexandrinus inter eos qui per Dei gratiam liberi facti ſunt, numerandos negat iſtos, *qui cum aſſiduè peccent, non tamen peccati maculas abluunt, neque, ut ita dicam, pretio dato crimina poſſunt depellere, quod mentis infirmitate ſudores pœnitentiæ perferre & Deum ejuſmodi laboribus placare nolint.*

S. Greg. in Pſ. 4. pœn.

L. 8. de odo.

§. IV.

§. IV.

Est tamen etiam aliquo modo pænitentium quorundam infirmitati condescendendum; quoad pænitentias satisfactorias tamen magis, quàm quoad præservativas.

INficiari tamen nolim, expedire sæpiùs pænitentis infirmitati nonnihil condescendere: *Habeat*, ait de Confessario D. Bernardus, *in voluntate compati & liberare eum, & nitatur aliquid detrahere severitati; imitans dulcedinem Domini sui, de quo dicit Sanctus; Quoniam fecisti judicium meum & intendisti causam meam.* Hinc quod jam superiùs commemoravi, cum Theodorum lapsum S. Chrysosthomus ad resipiscentiam hortaretur, non tantum exigebat, quantum malis peractis deberetur; *Sed quantulumcumque*, inquit, *eum qui hoc loci consistit, retinere sufficit, nè in contrarium relabatur.* Serm. 3. de S. Andrea. Epist. ad Theod. lapsſ

In pænitentiæ quippe actione duo consideranda sunt: *Modus* scilicet *satisfactionis*, ait D. Aëlredus, *& necessitas purgationis. Modus satisfactionis, ut secundùm modum culpæ, rigor continentiæ extendatur: quatenus secundum Baptistæ vocem dignos pœnitentiæ fructus faciamus. Verum non satisfactionis modus* Com. Spe Char. c. 40.

tantum

tantum servandus est, sed etiam purgationis necessitas perquirenda. Nec pro sola satisfactione à licitis continendum, sed etiam pro expellendis vel minuendis passionibus, quæ vitiosâ consuetudine inolescunt, laboriosis operibus insistendum. Ad utrumque vult Tridentinum Confessarios attendere: *Habeant*, inquit, *præ oculis ut satisfactio quam imponunt, non sit tantùm ad novæ vitæ custodiam & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem.*

Sess. 14. cap. 8.

Quæ autem hoc posteriori modo, hoc est, dumtaxat ad præteritorum peccatorum vindictam, satisfactio imponitur, sæpius moderanda est, & pœnitentium infirmitati attemperanda, potestque Chrysosthomi exemplo non tanta, quanta malis peractis debetur, exigi: atque hoc modo recipi potest quod ait Appendix: eligendum potius ipsos mittere ad purgatorium quàm ad infernum. Non hinc tamen solvi eorum ad pleniorem satisfactionem obligationem, sæpè exponere convenit, ut adhuc pòst aliis eam operibus implere satagant, & non nimium sibi ex hac remissione blandiantur, ac propterea ad eos, qui sibi multum & plus sæpè quàm oportet, hac in parte indulgent, accurrant. Dici ejusmodi potest

iſtud Bernardi: *Nec tibi blandiaris ſi graviter peccanti levior pœnitentia vel à neſciente vel à diſſimulante dictatur, cum purgatorius ignis perficere debeat quidquid hîc minùs feceris, quia dignos fructus pœnitentiæ quærit Altiſſimus: licet autem non evaſerit manus Omnipotentis, qui tibi non plenè conſuluit, tibi tamen ratio in gratia præſidet, quæ te doceat, tantum à licitis abſtinere, quantum te memineris illicita perpetraſſe.* *Serm. 3. de S. Andrea.* Nota.

§. V.

In ipſis ſatisfactionibus aliquid ſæpe miſcetur ad præſervationem, & pro hac parte illæ pœnitentiæ minus admittunt remiſſionem, quàm ſi forent merè ſatisfactoriæ.

QUia vero in ſatisfactionis opere hoc præterea attenditur, ut ſit ad novæ vitæ cuſtodiam & infirmitatis medicamentum; hac in parte non facilè expedit debitum rigorem remittere. Sunt quidem nonnulli ſic infirmi ut horreant grave aliquid aut diuturnum pro peccatis ſuis ſuſcipere; ſed inde quod parvi reputent mortalis offenſæ gravitatem. Mundi enim judicio exiguum eſt, à ſæculi homine ſemel aut ſecundò, dum nemini nocetur, commiſſum lethale delictum: & ſine

ſine querela vivit, qui, niſi ex enormioribus ſit crimen, ſic rarò labitur. Dum ejuſmodi eſt pœnitens, ac propterea exigua, nempè quinque *Pater* & *Ave*, ſibi vult ſatisfactionis opera imponi, periculosè ei condeſcenditur: quantò enim minoris æſtimat quæ fecit, tantò minùs ea deflet ac ſæpè non quantum oportet, minoremque ſuſcipit eorum cavendorum ſollicitudinem. Eò rigidiori pœnitentiâ adduci expedit, ut cognoſcat quid ſit etiam rarò mortaliter delinquere, & quod olim ab Iſraëlitico populo exegit Deus:

Hierem. 3. verſ. 13. *Sciat iniquitatem ſuam, quia in Dominum Deum ſuum prævaricatus eſt.* Hinc & hujuſmodi ingerendum eſt illud Baſilii: *Vult tui mi-*

In Pſal. 32. *ſereri judex, teque miſerationibus ſuis complecti, modò poſt admiſſa humilem te factum & contritum, & malefacta plurimùm deplorantem inveniet: inſuper quæ clam cæteris & in arcano deſignaſti, prodideris & evulgaveris fratri citra pudorem ullum: ſi fratrem oraveris, ut laboranti tibi auxilietur ad procurandam medelam: ſi demum miſerabilem prorſus te viderit, abundè tibi miſericordiam ſuam impendet.*

§.VI.

§. VI.

Pœnitentiæ præservativæ certiùs servantur, dum præcepto imponuntur, quàm dum consilio tantùm suggeruntur.

Necesse quoque persæpè est, vitiis quibus adhuc pœnitens infestatur, & facilè est eum superari, salubre antidotum opponere, ut & lapsûs recidivum sicut oportet caveatur, & à sua ipse infirmitate sanetur. Ejusmodi antidotum à Confessario impositum communiter & faciliùs suscipitur & pleniùs custoditur: plerique enim, etiam ii quos homines dicimus minimè scrupulosos, cum vitæ emendationem proponentes confessioni accedunt, lubenter excipiunt, quæ iis à prudenti Confessario dantur salutis monita: sed ea multorum est infirmitas, ut salubre consilium quod cum gaudio susceperunt, nisi quod sub satisfactionis onere est ipsis injunctum, boni propositi paulatim flaccescente fervore haud diu conservent. Sunt quibus gravis est & molesta ejusmodi oneris impositio; sed non propterea debitam disciplinam omittit, qui non ipsis placere appetit, sed animi eorum infirmitatem sanare: quibus dicit illud

Ad Hebr. c. 12. v. 11 lud Apostoli: *Omnis autem disciplina in præsenti quidem videtur non esse gaudii, sed mæroris: postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet justitiæ.*

§. VII.

Admodum suspecta est conversio quorumdam rationabiles satisfactiones recusantium.

QUi vero animi mollitie & ignaviâ ejusmodi satisfactionem suscipere renuunt, nec aliam nisi quinque *Pater* & *Ave* admittere parati; non facilè dixerim verè conversos: vera enim conversio, uti pluribus est monstratum, sic dolet de præteritis, ut debitam quoque sollicitudinem suscipiat ad cavenda futura, ac propterea ut rectè Chrysosthomus; *Hom. 10. in Matth.* *Vulnerato* (non) *sufficit ad salutem tantummodo spicula de corpore evellere, sed etiam remedia adhibere vulneribus.* Propter quod indulgebat Theodoro lapso, ut non tantam, quanta *malis peractis deberetur*, ageret pœnitentiam; minimè tamen remittebat ut non faceret: *Quantulumcumquè eum, qui hoc loci consistit, retinere sufficit, ne in contrarium relabatur.* Salubrem agendæ pœnitentiæ modum exponit loco superiori idem Chrysosthomus, *Ibid.* quod hic nolim omittere: *Quo*, inquit, *modo fructi-*

fructificare (hoc eſt, dignos pœnitentiæ fructus facere) *poterimus? ſi utique peccatis adverſa faciamus: V. G. aliena rapuiſti? incipe donare jam propria. Longo es tempore fornicatus? à legitimo quoque uſu ſuſpendere conjugii, ac perpetuam continentiam ſæpius paucorum dierum caſtitate meditare. Injuriam vel opere cuiquam vel ſermone feciſti? refer benedictionis verba conviciis, & percutientes te, nunc officiis, nunc etiam beneficiis placare contende. Deliciis ante & temulentiâ diffluebas? jejunio & aquæ potu utrumque compenſa, ut famem ſuperes imminentem. Vidiſti impudicis alienum decorem oculis? fœminam jam omnino non videas, majore tactus cautione poſt vulnera.*

Vide S. Baſilium in Pſal. 32.

Sed morem imponendi parvas pœnitentias vult Appendix confirmari per Chryſoſthomum hom. 43. in Matth. Verum Pſeudo eſt ille Chryſoſthomus: deſumpta quippe eſt iſta homilia ex opere imperfecto cujus auctor eruditorum conſenſu non fuit Chryſoſthomus: imo tot erroribus ſcatet (quos tamen nonnulli volunt ab hæreticis illi inſperſos) ut jam olim à Paulo IV. catalogo ſcriptorum ſuſpectæ fidei, ut refert Sixtus Senenſis, fuerit annumeratum. Vetuſtus tamen ejus eſt auctor, & ſi ex hom. 49. recipienda ſit conjectura, Theodoſii ac

per

per hoc & Chrysosthomi temporibus vicinus: tunc verò jam ab Augustino audivimus, illorum temporum gravissimo teste, gravia & mortalia peccata, quæ Ecclesiæ clavibus opus est dimitti, nisi per vehementissimam molestiam humiliationis cordis, & contritionis spiritûs, & tribulationis pœnitentiæ, non relaxari. Tunc, uti contestatur Hieronymus, ejusmodi peccata nitro & herbâ Borith, hoc est minoribus operibus dilui non poterant, sed majoribus egebant tormentis: propter quòd lapsum verus Chrysosthomus vult largas effundere lacrymas, ingemiscere, pauperibus misericorditer de suis afferre. Hoc ille auctor, si sanum sapuit, non reprehendit, sed eos redarguere censendus est, quos hac in parte indiscretè rigidos necessarium & pœnitentium imbecillitati congruum modum videbat excedere; confirmare verò minutas illas, de quibus nunc est quæstio, pœnitentias, dici non potest, cum modica illius temporis satisfactio, ad nostrum relata, foret maxima.

§.VIII.

§. VIII.

Quæ olim vocabatur pœnitentia parva, jam vocaretur maxima: ista enim sonant comparativè ad morem assuetum aut ab aliis practicatum.

ITaquè ut nunc ejus verba recipiam, dicit: *Si fascem super humeros adolescentis, quam non potest bajulare, posueris; necesse habet, ut aut fascem rejiciat aut sub pondere confringatur: sic & homini cui grave pondus pœnitentiæ ponis, necesse est ut aut pœnitentiam tuam rejiciat, aut suscipiens, dum sufferre non potest scandalizatus amplius peccet.*

Procul dubio pœnitentium vires metiendæ sunt, illisquè quantum spiritus & prudentia suggerit, pænitentiæ onus attemperandum, non enim *commissura panni rudis in vestimentum vetus immittenda est*, neque ab imperfectis exigendum, cui persolvendo vix perfecti sufficiunt. Zelum proindè Dei necesse est habeat Confessarius, sed secundum scientiam: zelum Dei, inquam, ut quem habet pœnitentem, liberare cupiat & salvare; sed secundum scientiam, ut noverit quid ei injungi conducat, quantum ejus imbecillitati expediat condescendere: nam revera, ut

R notat

Serm. 3. de S. Andrea. notat Bernardus, indiſcreta religio magis obeſſe ſolet, quàm prodeſſe.

Sed aliud eſt, cum id pœnitentium poſtulat infirmitas, aliquid rigori detrahere,& aliud debitæ ſatisfactionis modum tantùm non tollere. Utrumque conſiderat prudens zelus: novit compati, ſed & ſtudet voluntariâ præteritorum peccatorum vindictâ & caſtigatione per pœnitentes divinæ juſtitiæ, ſicut id ipſa exigit, ſatisfieri: maximè verò cavet, ut non, quos ſervare cupit, & à peccatis liberare, nimiâ remiſſione majorem ipſis peccandi fomitem ſubminiſtret. Propter quod non ſic ipſis indulget aut pœnitentias relaxat, ut hinc parvi reputent,& per hoc aut commiſſam minus defleant, aut committendam minus ſollicitè fugiant, mortalis delicti offenſam. Quos item conſpicit interiori adhuc animi morbo ægros, non obſequiis decipientibus fallit, ut neceſſaria ipſis, licet id optent aut flagitent, ſubſtrahat remedia, piè ſubindè non parcit medicus; nec audit vociferantem, clamantem, imo nonnihil & indignantem, ut eum poſt recipiat, cum ſanatus fuerit, pro medela gratias agentem.

§. IX.

§. IX.

Quomodo intelligendum, quòd melius sit excedere in misericordia, quam in rigore.

QUod itaque Auctor subjungit: *deinde etsi erramus modicam pœnitentiam imponentes: nonne meliùs est propter misericordiam rationem dare, quàm propter crudelitatem?* Modicam pœnitentiam intelligo, quâ severior illius temporis rigor nonnihil remitteretur, & illi vehementissimæ molestiæ humiliationis cordis, contritionis spiritûs, & tribulationis pœnitentiæ, sine qua tunc mortalia peccata non relaxari solita ex Augustino cognovimus, aliquid detraheretur; cujusmodi modica pœnitentia hodie grandis foret, & maxima, ut proinde levissimæ illæ de quibus nunc agitur, pœnitentiæ, his ejus verbis censeri nequeant confirmari.

Insuper meliùs est propter misericordiam rationem dare, quàm propter crudelitatem, nempè nisi illa quæ dicitur misericordia plus sæviat quàm crudelitas: ut enim segnes natos facit indulgentia matrum, ita tepidus fit pænitens, cui nimium parcitur, & plurimi à peccandi consuetudine sese vel conservassent, vel

emendassent, nisi illâ, quam dicunt, benignâ misericordiâ, eis semper fuisset indultum. Confessariis Patris nomen à pœnitente tribuitur; propter quod ut Patres sese ei exhibeant; sed noverint dictum: *Qui parcit virgæ odit filium suum, qui autem diligit illum instanter erudit.* Certè plus arguitur medici misericordia dum vulnera, quæ manu parcente contractat, non curat, sed exaggerat, quàm ejus immitis severitas, quæ dum non parcit, sanat.

Subjungit denique: *Vbi enim Paterfamilias largus est, dispensator non debet esse tenax: si Deus benignus est, ut quid Sacerdos ejus austerus? Vis apparere sanctus? circa vitam tuam esto austerus, circa alienam benignus.* Paterfamilias largus est, quia non solùm peccata donat, & debitam illis æternam pœnam per mortem filii sui misericorditer remittit, sed & temporali, quæ ejus exigente justitiâ persolvi debet, pœnâ nondum completâ pœnitentem in gratiam suscipit: permittit quoque non omnem rigorem à Confessario erga pœnitentem servari; ac per hoc dispensator non debet esse tenax, ut hujus infirmitati nihil velit condescendere; sic tamen Deus benignus est, ut simul sit justus, & sicut ex ejus miseri-

misericordia est quòd hîc possit nonnihil pænitenti condescendi, ita justitia exigit ut non ex toto pæna relaxetur. Propter quod immisericors non est Sacerdotis austeritas, dum utrumque attendit; misericordiam, ut pænitentium imbecillitati noverit compati; justitiam, ut præteritas offensas ab ipsis voluntariâ satagat castigatione puniri, præsertim quantùm & cavendi relapsûs exigit cautio, & ratio sanandæ eorum infirmitatis.

Hæc duo justitia & misericordia, omnibus quidem Rectoribus, speciatim tamen necessariæ sunt Confessariis: *Quia primum sine secundo*, ait S. Thomas, *est severitas, secundum sine primo est remißio.* Et ante ipsum Gregorius: *Disciplina*, inquit, *vel misericordia multùm destituitur, si una sine altera teneatur: sed circa subditos suos, inesse Rectoribus debet, & justè consolans misericordiâ, & piè sæviens disciplinâ. Hinc est quòd semivivi illius vulneribus, qui à Samaritano in stabulum ductus est, & vinum adhibetur, & oleum: ut per vinum mordeantur vulnera, per oleum foveantur: quatenus unusquisque qui sanandis vulneribus præest, in vino morsum districtionis adhibeat, in oleo mollitiem pietatis; per vinum mundentur putrida; per oleum sananda foveantur: miscenda est ergo lenitas cum se-*


Comm. in 1. epist. ad Tim. cap. 6. Lect. 2.

L. 20. mor. cap. 6.

veritate , faciendumquè quoddam ex utraque temperamentum : ut neque multâ aſperitate exulcerentur ſubditi , neque nimiâ benignitate ſolvantur.

Ad majorem Dei gloriam.





INDEX CAPITUM ET PARAGRAPHORUM.

CAPUT PRIMUM.

CAPUT II.

CAPUT III.

CAPUT IV.

§. 1. Pre-

CAPUT V.

CAPUT VI.

CAPUT VII.

CAPUT VIII.

CAPUT IX.

CAPUT X.

§. 6. Iux-

CAPUT XI.

CAPUT XII.


CAPUT XIII.


CAPUT XIV.

CAPUT XV.

CAPUT XVI.

§. 1. *Non*




BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE